Pre-Linnean
QK 349.7
.R4
1692-1703
c. 1
v. 11-12
Cab. 18
1-8

HORTI MALABARICI
PARS UNDECIMA,
DE
HERBIS
ET DIVERSIS ILLARUM
SPECIEBUS

Latinis, Malabaricis, Arabicis, Brachmannum characteribus nominibuſque expreſſis.

Adjecta Florum, Fructuum, Seminumque nativæ magnitudinis vera delineatione, colorum viriumque accurata deſcriptione,

ADORNATA

Per Nobiliſſimum ac Generoſiſſimum D. D.

HENRICUM VAN RHEDE TOT DRAKESTEIN,
Toparcham in Mydrecht, quondam Malabarici Regni Gubernatorem ſupremi Conſeſſus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium, nunc vero Equeſtris Ordinis nomine Illuſtribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adſcriptum,

In ordinem redegit & latinitate donavit

ABRAHAMUS A POOT M. D.

Notis adauxit, & Commentariis illuſtravit

JOANNES COMMELINUS,
Reipublicæ Amſtelodamenſis Senator, ac Horti Medici præfectus.

Mo. Bot. Garden, 1893

AMSTELÆDAMI.
Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM,
Anno CIↃ IↃC XCII.

M DCXCII

Kapá-tsjakka

HORTI MALABARICI PARS UNDECIMA. DE HERBIS ET DIVERSIS ILLARUM SPECIEBUS.

KAPA-TSJ-AKKA.

TABULA I. II.

BRamannes & Luſitani *Ananàs* dicunt, duum triumve pedum planta, arenoſa & aquoſa amans loca. *Radix* craſſiuſcula, undiquaque longas, capillatas, nonnihil nodulatas, albicantes ſpargit fibras; media pars obtortæ radicis formam obtinet. Primæ radici-formes ſcaturigines exteriori trunci lamellæ inſeruntur, foliaque inferiora perforant, & quidem illic loci, ubi folia decidua aliquantulum putrefacta, maxime conſpicuæ; foliis vero vegeto virore expanſis, evaneſcunt. Laterales radiculæ trifariam nobis oſtendunt phaſin, prima ſubfuſca eſt & filamentoſa, altera lignea, albicans, muſcoſa, tertia ſive medullaris nervea, prædura, admodum firma. *Caulis* è radice exſurgit unicus, rotundus, rectus, ſine ſtolonibus; ex hoc *caudex* tripedalis, fructum

nempe ſi annumeres, craſſiolus, pollicis ferme latitudinis, viridi, nitente, glabro cortice obductus, qui ſemiannulatis geniculis interſtinguitur; interiori parte ſpongioſus, fiſtuloſus, medulla albicante, ſucculenta, fibroſa inſtructus; humor illius aqueus eſt & ſubdulceſcit. *Folia* ex ſemiannulatis erumpunt geniculis, alternato ordine, illorum bina totam trunci peripheriam arctiſſimis complectuntur vinculis, inferiori parte confertim, ſuperiori laxius trunco adnectuntur; oblonga ſunt, ſupra fructus in faſtigium excreſcentia, ſinuoſa, ſenſim in cuſpidem aculeatum ſtricta, interiori parte concava, fibris in utraque ſuperficie laxioribus & fungoſis pertexta, quæ regulari nexu procedunt, quarum interiores cæteris majores, craſſiores ac valde duræ; ubi radiculas ejaculantur obliquo, ſecus recto ductu procedentes, candicantes: Interior ſinus ſubvirideſcit, illius latera, ad unius circiter digiti craſſitiem, fuſco virore nitent; in laciniis, jam deſcribendi aculei, congruo & quaſi artefacto ordine, inſiguntur; unumquodque *folium* in duas diſpecitur laminas, cujus convexa, pars rarioris, concava autem denſioris ſtructuræ eſt; folium ordine ſextum, per univerſum hunc truncum, aliud, rectà è diametro oppoſitum, habet, adeo ut totus truncus hexagonus, ob circularem & cochleatam foliorum compaginem, dici queat; ſemilunares foliorum ungues concinna inſertione trunco firmiter adhæreſcunt, ſuperiori vero membranula, reliquæ foliorum ſubſtantiæ, virideſcentibus fibrillis agglutinantur. In oris folia hæc muniuntur ſpiculis, ceu aculeis denſis, rigidis, acutis ac incidentibus, verſus cuſpidem parum incurvis, non tamen aduncis; inferior pars circa caulem ad duos treſve pollices ſine aculeis eſt; contextura illorum rigida, craſſa, denſa, ſpiſſa, venulis paralellis, ex unguiculis ad cuſpidem, qui magis durus & rigidus, ſtriata; quæ ad inferiorem caulis partem prodeunt, oblongiora ſunt, in vetuſtiore planta ex viridi ſubflaveſcunt, ad oras ex flavo ruffeſcunt, ut & in ſpiculis aculeatis, in parte ſuperiore extra oras rubeſcunt, colore ſaturo roſaceo, in parte nempe ima ac interiori, in

ex-

exteriori incarnatè rubeſcunt, in ſuperiori flaveſcunt, circa latera farinaceo ac albicante rore laneisve floccis conſperſa: ſuperiora unà cum inferioribus ejuſdem ſunt figuræ, circa caulis cacumen interius in una parte ſanguineo-ſaturo ac vivido nitente rubore ſuffuſa, albicantibus punctis interſperſa, roſam, tulipamve marmoream diceres, verſus cuſpidem fuſco & nitente virore, vel etiam ſanguineo, ſi teneriora ſunt, in exteriori latere colore vivido incarnato, ſuperne virideſcentia vel ejuſdem incarnati coloris, farinacea quoque nive, qua color incarnatus ceu viror in foliis obfuſcatur, conſperſa, illa remota ipſe foliorum color plenius ſeſe conſpectui offert; ſingulorum foliorum apices præduris aculeis mucronantur: unumquodque folium gemmam continet, quæ licet per exigua, integram tamen plantam perfectiſſime in ſe comprehendit, pedunculo trunci circuitui, exteriori nempe ejus lamellæ, inſertam.

Fructus, in quo flores proveniunt, in caule excreſcit unicus, cacumini ejus inſidens, veluti nodus, ſuperioribus foliis inferne ſuccinctus, ſtrobiliformis *Pini Italici* fructum referens, in totum *Cinaræ* inſtar, foliis futurorum florum operculis, eleganti ſpecie conſtructis, atque in modum cochleæ (ſi nempe à læva verſus dextram foliorum ordines inſequaris, alias rectius exſurgunt) ipſum fructum obſepientibus, ita ut ſextum in ordine, ſemper è diametro aliud oppoſitum habeat, ubi bina ad latera paria circumſtant. Foliis hiſce rhomboïdæis, cuſpidatis, ſurrectis, rigidis, ad verticem ſenſim minoribus, etiam in oris, cuſpidibus ceu aculeis parvis ac rigidis munitis, venis in longum, verſus cuſpidem ſtriatis, anterius ſanguinei ac nitentis coloris, ut & exterius, ubi albicante farina obfuſcatur, in unguiculis virideſcentibus. E vertice ſtrobiliforme, oblongum capitulum, pulchramve potius roſam foliaceam emittit; in germinationis exordio, perinde ut cætera fructus folia, rubram, atque in ſui accretione virideſcentem, ſed ubi lanuginoſa tunica obvelatur, purpuream; in ſui principio arcte, congro tamen ordine com-

compactam, ſenſimque magis expanſam, in apice ſplendide virentem. Integer fructus pyramidalibus conflatur capſulis, ab interiore caule ad extimum corticem decurrentibus. Foliaceus *apex*, nonnunquam ſimplex, alias multifidus, qui fructui inſidet, radicum, facile hic ſeparabilium, ac lateralium ſurculorum primordia in ſe continet, adeo ut ipſe vertex eaſdem, quæ in tota planta ſunt, partes includat, idem etiam, ſi obtutum acuas, in lateralibus ſurculis videre eſt. *Flores* in fructus vertice ex foliaceis tuberculis prodeunt, ex vertice oculorum ceu gemmularum exſilientes, quæ per totum, cortice excepto, ad verticem fructus, ubi foliis denſioribus veſtitur, ad ipſorum foliorum unguiculos extuberant; ſuntque florum conceptacula, quarum pedunculi florum calices, in fundo rotundi, primitus clauſi, poſtea transgreſſum floribus concedentes, deciduiſque floribus ſemet conſtringentes concreſcenteſque, evadunt; gemmulæ de cætero follicoſæ ſunt & nonnihil ad latera compreſſæ, conformatæ ex tribus rotundiolis, craſſis, rigidiuſculis ac arcte convolutis foliolis, quæ ad ſe invicem ſunt conſtricta, coloris exterius ſanguinei & nitentis, albicante farina, quæ ruborem obfuſcat, conſperſæ, intus virides & aqueæ. Flores ex hiſce gemmulis follicoſis exilientes tripetali ſunt, oblongi, ad verticem rotunde cuſpidati, ſuperiori parte ſtricti, inferiori convoluti, ubi arcto orificio, à gemma follicoſa, cujus fundo ſunt inſerti, tanquam à ſuo calice, arripiuntur. Coloris ad verticem, cæruleo ſaturi, inferne albicantis, petalis marceſcentibus ex rubro fuſceſcunt. *Stamina* in illis ſex, flavis, ſurrectis & oblongis dotata *apicibus*, quorum tria foliorum interſtitiis, reliqua ſupra inciſis e lateribus infiguntur foliis, ac fundo gemmæ follicatæ ſe inſerunt. *Stylus* in illis eminet unicus candidus, ſuperne bifidus, trifido apiculo, cujus quod libet interſtitium biſecatur & criſpatur, inſtar Lilii. *Flores* ex gemmis cuſpide acuto, purpureo prominent, quorum qui in inferioribus gemmulis ſunt concepti citiores exſiliunt, qui in ſuperioribus tar-

tardiores, etiam in ipſo vigore anguſtis oſculis hiantes. *Fructus* maturus, oblongo rotundus, grandis, cortice flavo & rubeſcente, foliis flaveſcentibus & contractioribus vel obſitus, vel nudatus, oculis ceu gemmulis latioribus cavis, inanibus & magis complanatis in cortice extuberans. *Caro* ex albicante flaveſcit, ſucculenta, ſaporis, præ cæteris fructubus, gratiſſimi, acido-dulcis & vinoſi; in medio *ſtylus* ceu corculum eſt oblongum, rotundum, duriuſculum, ex albo flaveſcens, carne ſubdura, quæ lignoſis intus eſt pertexta fibris, ex fiſtuloſis oculis transverſim inciſum humorem exſudans. In fructu etiam transverſim inciſo oblongæ & radioſæ videntur ſtriæ, ex corculo ſeu ſtylo medio, tanquam meditullio fructus egredientes & ad corticem excurrentes, quarum caro magis ſucculenta & flaveſcens. Immaturus ſi guſtetur carne ſua linguam lancinat ac vellicat. E regione ſtaminum, quæ non ipſis floribus, ſed florum interſtitiis inſeruntur, ſepulta jacent *Semina*, in quovis nodulato tuberculo, floris retinaculo, terna, ſingularibus cancellis, triangulari forma, quæ trigona quoque infarcitur ac diſtinguitur membranula, ſecluſa, ubi affabre factis, nerveisque catenulis rotundiuſculis colligantur corollis, quarum fimbriæ eleganti rotundarum gemmularum cingulo obveſtiuntur, binos inter colliculos, ſicuti pinealis glandula inter cerebri nates, recumbantibus. Quoad ſemina ipſa, parva ſunt, plana, pyriformia, ubi præcocia albicant, matureſcentia apicibus fuſcis dotantur, pluſquam matura, caſtaneas fuſcedine æmulantur, atque in valvulis ſeu cavernulis, quæ intra carnem, proxime ad corticem, ſeu gemmulas floriferas conſitæ ſunt, reperiuntur, rarius in una capſula bina; ipſæ valvulæ oblongæ ſunt, in longitudine verſus medium ſtylum fructus ceu corculum directæ, atque in illa parte quæ magis ad ſtylum accedit, ſtrictiores, ac veluti membrana nitente candida obductæ, & plures, ad ſingulas gemmas follicatas, exſtantes. Porro obſervandum, quod in novellis plantæ hujus partibus profundè in orificio oculus emergere videatur candidus, conſtans

ex foliis ſupra ſe mutuo, tunicarum inſtar, convolutus, uti in bulbis apparent, ſuntque illa folia, quæ plantæ caulem in geniculis inveſtiunt, cujus primordium in ima parte oculi interius ſitum eſt. *Folia* in aqua *Oryzæ* cocta, & pulveri *Baliari* mixta, in potum aſſumta, hydropicorum ventres purgant. *Fructus* immaturi cum *Aceto* propinati, fœtum ex utero pellunt. Iidem comeſti abdominis ex flatibus intumeſcentiam corrigunt.

TABULA I. 2.

Prolixior hujus plantæ *Ananàs* deſcriptio, ſub nomine *Kapa-Tsjaka*, ulteriori explicationi non indiget, omnes enim & ſingulæ ejus partes ab Authore quam accuratiſſime ſunt obſervatæ & annotatæ. Unicum hoc addendum, plantam hanc ex America in Indiam Orientalem eſſe translatam, ubi majores fructus, quam in nativo profert ſolo, atque etiam ibi aliquantulum mutata eſt, folia enim in India anguſtioria quam in America. A quinquennio ſingulis annis in Horto medico Amſtelodamenſi arte exculta, ſat magnos & maturos protulit fructus. A *Caſp. Baub. in Pinac.* vocatur *Carduus Braſilianus foliis Aloës.* A *Markgravio* *Nana Braſilienſibus*; & ab *Hernando Matzali*, ſeu *Pinea Indica*: pertinet inter plantas pomiferas, antiquioribus *Botanographis* plane incognita.

Kapá-tsjakka

Aloe barbadensis Mill

Kadanákú aut catevála *Lat:*

കറ്റവാഴ *Mal.*

Cúmári

कुमारी *bram.*

[illegible] *Arab.*



KADANAKU vel CATEVALA.

TABULA III.

PLanta eſt arenoſo & petroſo gaudens ſolo. *Radix* penniformis, fibris ex albo flaveſcentibus oblongis veſtita, carnoſa, aquea, filamentis lignoſis, raris pertexta, ſaporis aquei, linguam nonnihil vellicantis. *Caulis* ex illa prodit unicus, brevis, rotundus, ſurrectus, intus carnoſus, aqueus. *Folia* bina, decuſſato ordine, ex caule emergunt, quorum principia caulem amplectuntur, in latum extenſa, ad longitudinem cubiti & amplius excreſcentia, ſenſim in cuſpidem ſtricta, valde craſſa, ſuperiori parte plana, inferiori, qua radici obvertuntur, convexa, glabra, in oris ſpinis viridibus, rigidiuſculis munita, de cætero pulpa aquea, clara ac viſcida inſtructa, in qua fibræ raræ, virides in longum ſparſæ viſuntur, ſaporis aquei & ſubdulcis. *Flores* in caulibus rotundis, qui ex radice oriuntur, ac folioſis involucris hinc inde veſtiti & intus fiſtuloſi, humidi, plures congregati proveniunt, oblongi, monopetali, ſuperne in ſex partes diviſi, in cuſpidem deſinentes, exteriora verſus nonnihil inflexi, fiſſi, in collo flavi, crocei, ſtriis aurancei coloris perfuſi. *Stamina* in illis ſex viridi-albicantia, apicibus oblongis, ſurrectis, ruffis, dotata, *ſtylus* in medio albicat. Apud Medicos extra uſum.

TABULA 3.

Aloë Vulgaris Caſp. Bauhin. in Pinac. planta hæc eſt. Ab aliquot annis quam plurimæ hujus ſunt detectæ conſpecies, uti prolixius videre eſt apud *Abrahamum Munting in Aloidario*, & *Hernandum Hiſtor. Mexican.* & *Hermannum* in *Prodromo Paradiſ. Batav.* quorſum Lectorem remittimus. In Itinerario Dom. *Simonis vander Stel* gubernatoris *Capitis bonæ ſpei*, præter haſce binas adhuc ſpecies *Aloe arboreſcentis* inveni, ſummæ altitudinis & craſſitiei, quarum trunci inciſi, egregium *Aloes* ſuccum fundunt, qui Malabaribus ignotus, in aliis tamen Indiæ & Europæ regionibus familiaris & magni uſus eſt.

Elettaria Cardamomum
Amomum repens.

Elettari Lat.

ഏലം Mal.

Ellu Bram.

Elettari Lat.

Mal.

Élú

bram.

ELETTARI.

TABULA IV. V. VI.

DEclivia montium, valles, umbroſa ac cænoſa amat loca, ſolis impatiens, duodecim circiter pedes alta, in quem finem *Tab.* I. *ſtirp.* A. hominis appoſitam vides imaginem. *Radix* oblonga craſſeſcit, geniculata, albicans, tortuoſa, ſurſum virens, è lateribus innumeras fibroſas emittit radiculas, quibus, veluti pedibus, perinde ac radix *Zinziberis*, proſerpit. *Caules* qui è radice emergunt, rotundi, glabri, virentes, latum ferme pollicem ſuo emetiuntur diametro, ſtipite ſimplici, inſtar *arundinis*, cujus texturam æmulantur, ſurgentes, albicante vappidaque medulla, lignoſis filamentis, quorum extrema, transverſim diſſecta, eriguntur, inſtructa; ex quorum corculis, ſubtilia, aquea, telæ aranearum inſtar, candicantia educi poſſunt fila; foliorum baſi, quæ ſuperioribus radicum geniculis innititur (Tab. 2. litt. B.) theciformibus ſuis involucris (ut in arbore *Piſang* videri poteſt) inſiſtunt. Diſtracti, manibusve triti aroma ſpirant. *Folia* illis *Manju-Kua* non abſimilia ſunt, quatuor circiter ſpithamas longa, lata (vide tab. 1. litt. B.) viridia, parallellis exilibusque venis ſtriata, odore ac ſapore forti, ſubacri, aromatico. Coſta media in adverſa parte viridi diluta, in obverſa viridior. *Flores* (vide tab. 2. litt. E.) uni fructigero racemo, vel radicali ſurculo, plures, plerumque tres quatuorve, ejuſdem oblongis foliolis (vide tab. 2. litt. F) veluti capſulis impliciti; nullus enim in foliaceo hoc involucro conſpicitur hiatus. Tegmine hoc autem aperto tetrapetalus viſui ſeſe offert flos (vide tab. 2. litt. EE) quorum tria (vide ibid. litt. G.) magnitudine conveniunt, oblongo anguſta, viridi albicantia, membranoſa, quartum (vide ibid. litt. H) quod prioribus ex adverſo jacet, tenui ſtylo (ibid. litt. I) lingulaque (ibid. litt. K) donatur, paulo latius ac minus oblongum eſt,

interius ſitum ac viride; Lingula litt. K denotata, oblongo-anguſta eſt, craſſiuſcula, in interiori facie, quæ intimo foliolo ex adverſo opponitur accumbitve, ſulco ſtriata, in ſupremo apice bifida, dilute rubeſcens, ſuoque ſulco exilem, candicantem ſtylum litt. I, qui in tenue planumque deſinit capitulum, recipit. *Floris* vigore ceſſante complicantur petala, fructuum apicibus perpetim inſidentia, *calyxque* in fructum intumeſcit, (vide litt. M) qui ubi adoleverit in orbem diſtenditur, convolutis floris foliis etiamnum comatus, (vide litt. N) qui deſiccatus talem ut *litt.* O formam refert. *Fructus* radicalibus fructipromisque racemis appendent, qui uvis & forma & ſapore haud perperam aſſimilantur, orbiculati enim ſunt & grate ſubacidi, viridi, craſſiuſculo, carnoſo, aqueoque cortice obducti, ſtriis admodum tenuibus juxta longitudinem pertexti, in tres diſtinctos dividuntur loculos cancellatim diſtinctos, ita ut quodlibet interſepimentum, in ſui medio, membranacea fibrilla (vide tab. 2. litt. B) etiamnum, ſed levi ingreſſui biſecetur, ſicque ſeminum conceptacula efficiunt: adeo ut ſex ordinibus, combinata, triangularia, preſſis planiſque lateribus fructus, copioſe inſideant grana aromatica (vide litt. L) quæ medio ſtylo trigono, (vide tab. 2. litt. C) cui, mediante membranacea ſepta, affiguntur, cuſpidibus ſuis adhæreſcunt. In aprico fructus hi exſiccantur ſolo, ubi cortex, qui primo craſſus viridisque, extenuatur & ex ruffo albeſcit; ſuntque ipſiſſimum *Cardamomum*; non ſeruntur neque plantantur, ſed poſt ſylvarum comburia, ſub omnigenarum arborum plantarumque cineribus progerminant. Porrò obſervandum quod ex radicum geniculis ſub terra, plurimæ prodeant *gemmæ* cuſpidatæ,干 virideſcentes, quæ in ſurculos (vide tab. 2. litt. D) ſesqui ſpitham longos excreſcunt, ſuntque illi ſuccincti, geniculati, in articulis foliaceis vel membranaceis gaudentes tegumentis, quæ ſicca ex albo ruffeſcunt, & è commiſſuris laterales, ſimplicesque pedunculos eructant, qui, ſub folioſis, capſiformibusque tegumentis (quibus arcte veſtiuntur) florum, fructuumque germina recludunt.

Tres

Tres hujus *Elettari* ſive *Cardamomi* ſunt cognitæ ſpecies, quarum prima, quæ hic deſcripta eſt & delineata, plane rotundos ac albicantes profert fructus, cujus natale ſolum ſupra *Cochim* & *Calicut* in locis montanis, triginta circiter à mari milliaribus, pretioque, ob præſtantiores vires, reliquis prævalet. Secunda ſpecies oblongior eſt, ſed vilior; tertia viliſſima & plane acuminata; quæ poſteriores juxta *Cananoì* aliaque Indiarum inveniuntur loca. De viribus nihil addendum duxi, ſat enim ſuperque ſunt cognitæ.

TAB. 4. 5 & 6.

Elettari quæ hic ab Auctore tam fuſe deſcripta & ad vivum eſt delineata, eſt ipſiſſimum *Cardamomum*, ab ipſo primum pleniſſime in lucem deducta; *Bontius* autem ſe priorem putat. Sed lege, mi Lector, utriuſque deſcriptionem, & ipſe judica. Græci plantam ipſam ignorarunt, vires & uſus ipſis magis notæ erant. Noſter Auctor data opera uſum illius in Medicina præteriit; omnibus enim tam in India quam in Europa ſatis eſt cognitus. Specierum diverſitatem Cardamomi etiam annotavit, indicans quænam ſit optima, ſic ut in poſterum fraudes dolique præveniri poſſint.

Kúa lat.

കൂവ Mal.

Kúa

कुवा bram.

قحوا arab.

K U A.

TABULA VII.

KVa, Bramannibus *Acua*, proprium & commune omnium plantarum nomen eſt, quæ ad ſpecies Zinziberis referri debent, ſuntque numero octo. *Kua*, *Tsjana Kua*, *Mallan Kua*, *Manga Kua*, *Mangella Kua*, *Intſyi Kua*, *Katou-Intſyi Kua*. *Mala-Intſyi-Kua*. Prima ſpecies omne amat ſolum, præſertim arenoſum, in quo ſua ſponte provenit & progerminat. *Radix* ab una parte transverſim excurrit, alba, craſſa, tuberoſa, hinc inde tenuioribus & fibroſis radiculis inſtructa, denſa, multisque capillis albicantibus pertexta, cortice glabro; in longitudinem ſe per tuberes diſpergit, ad craſſitiem duorum circiter digitorum, & ſpithamæ longitudinem, in ramos diviſa, aqua limpida referta. Sapor acris eſt, linguam vellicans, amaricans, aromaticus. Odor fortis eſt & gratus, perinde ac ſi multa aromata inter ſe eſſent permixta. *Folia* oriuntur ex radicum extremitatibus ad longitudinem cubiti, & latitudinem in medio duarum ſpithamarum; anterius acuminata, circa pedem anguſta, *coſta* eminente inſtructa; illa multas emittit laterales, transverſim anterius excurrentes, æquali diſtantia, in extremis oris diſparent, ubi ſubtilioribus venulis marginem folii ampleсtuntur; interior pars folii aliquo modo complicata eſt & reflexa, ſuturis notata. Color in parte interiore fuſcus eſt, in exteriore dilutior. De cætero folia glabra ſunt, nitentia, aquea. *Caules* ſesquipedales ſunt, viridante medulla pleni, ſed nulli in illis conſpiciuntur ſurculi; ſed è radicibus, ſcapus erigitur peculiaris, prælongis aliquot foliaceis ſquamis, ſcapum arctiſſime ambientibus obtectus; quæ folia digiti longitudinem ſuperant, anterius in latum extenſa, & exiguo cuſpide ad ſe invicem contracta, extremitates à ſcapo reflectunt, glabra ſunt, in longitudine tenuioribus venulis

inſtructa, quæ, niſi frangantur, neutiquam videri poſſunt; inferiora viridia ſunt, media flava, ſuperiora rubra, purpurea, dilute cærulea, ſumma pene candicantia, aſpectui jucunda, odoris grati, ſapor ut ille radicis. *Flores* ex ſquamarum interſtitiis, duo vel tres ſimul proveniunt, campanulas referentes, inferiori parte & intus ſub albi, tenui, transparente membrana concluſi, hextapetali, petalo ſuperiori oblongo pellucido, galeæ inſtar, erecto, flavi ſunt & albi, complicati, & vix videntur niſi totus flos à caule divellatur & a ſe invicem ſeparetur, ubi unum illorum reflexum deprehenditur ad marginem fimbriatum; in medio *filamentum* ſeſe prodit cuſpide inſtructum, draconis quaſi caput & aviculam alatam erecta cauda referens. Odor gratus eſt, è calice ſed fracti, & intra digitos contuſi, foliorum æmulantur odorem, ſaporis ſubamari. *Capſulæ* ſeminales rotundiolæ ſunt, & depreſſæ, grana continent cineritia, ut illa *Tsjana Kua*, ſed raro inveniuntur. *Radix* diu ſuperſtes eſt, folia decidunt, menſe Julio & Auguſto denuo progerminat. *Radices* raſpatæ, aliquoties lotæ, pollinem reliquunt, ab indigenis multum æſtimatum, qui pultem ex illo conficiunt. *Radix* contuſa & ſuccus recens epotus, omnem inteſtinorum ardorem ſiſtit, renes purgat, fluxum album inhibet, gonorrhæam ſanat, ſanguinem purgat. *Foliorum* ſuccus hydropicis propinatur, intumeſcentiam abdominis aufert, modice laxat, viſcidam inteſtinorum pituitam expurgat.

TAB. 7.

Kua ſecundum ſententiam Cl. Vir. *Pauli Hermanni* eſt *Zerumbeth Garzii ab Horto*, cujus deſcriptio, ut & illa *Arabum* admodum obſcura, à *Cingalenſibus Walinghuru*, id eſt, *Zinziber ſylveſtris* appellatur, *Malabares* dicunt *Kua*. Illa *Hermanni* cum Auctoris noſtra ut plurimum convenit.

TSJA-

Costus speciosus

Tsjána-kúa. lat.

ചണ്ണക്കൂവ Mal.

Ponvó.

पोवो bram.

جبانا قحواء Arab.

TSJANA-KUA.

TABULA VIII.

BRamannes dicunt *Ponvo*, ſecunda ſpecies omne ſolum amat, præcipue umbroſum. *Radix* alba, in multos tuberes diviſa & prorepens, fungoſa, aquea, fibris quamplurimis pertexta, aquea, tenella adhuc viridis eſt & albis capillis obſeſſa; *Cortex* demi non poteſt; vetuſtior facta & fracta, multæ fibrillæ exinde in longum extrahuntur telæ aranearum inſtar. *Sapor* aqueus eſt & dulcis ut ille *Cucumeris*, leniter Zinziber ſpirat. *Surculi* diverſis in locis è radicibus progerminant, ad altitudinem trium quatuorve pedum, digitumque craſſi evadunt, rotundi, ſanguineo rubri, glabri, nitentes, arundinacei, geniculati, ſimplices, ſine ramis, intus virides & aquei. Sapor, cum odore, ut ille radicis. *Folia* oblongo anguſta, duas ſpithamas longa, anterius acuminata, in medio lata, prope circa ſurculum annexa, ubi pedes ſurculum obvolvunt ac obtegunt, in parte adverſa *Coſta* eminet, in obverſa ſtriantur, laterales coſtæ transverſim marginem folii petunt, ubi obliterantur; multoties introrſum ſunt convoluta, mollia, nitentia, viridia, admodum aquea. E cacumine ſurculorum capitulum ſeu tuberculum exoritur, inſtar *mali punici*, pyriforme, ex multis corallo-rubris gemmulis conflatum, quæ ſingulæ lata baſi, medio ſtylo annectuntur. E gemmis prodeunt *flores* trifariam diviſi tetrapetali, ephemeri, candidi, campanulæ formes, in vertice aliquantulum aperti; quartum petalorum maximum eſt & reflexum, in cujus cavitate quintum reperitur, admodum reflexum & in quartum recumbens, e regione lingula reperitur in pede floris radicata, apice flavo, de cætero alba; ipſi flores admodum aquei ſunt & in ſole liquefiunt, è calice ſuavem admodum ſpirantes odorem, non autem ex ipſa ſubſtantia, quæ odoris & ſaporis eſt expers. *Calix* è tribus conſtat foliis rigidis, lignoſis,

ro-

roſaceo rubris, intus cæruleis, quæ ſiccata fuſca evadunt; trigono ac rotundiolo inſiſtunt globulo ſeminali, interſepimento in tres partes diviſo, ubi *ſemina* ſeriatim, & ſecundum ſe invicem diſpoſita, membrana media annectuntur, triangularia, ut illa *Cardamomi*, primo cærulea, dein fuſca, quando capſulæ ſeminales etiam trifariam aperiuntur; contuſa Zinziber ſpirant, ſaporis admodum exigui, intus alba. Diu admodum ſuperſtes hæc planta eſt, radix enim proſerpit & hinc inde novos ſurculos emittit, præſertim menſe Aprili & Mayo. Cum Zinzibere mixta in colica paſſione adhibetur. *Succus* dolores, ulcera, & aurium tinnitum aufert, auditum juvat, omnem fluxum cerebri tollit & vertiginem.

TABULA 8.

Secundum meam ſententiam *Tsjana Kua* illa radix eſt, quæ apud *Matthiolum in Dioſc. lib.* 1. *cap.* 15. pro *Coſto Arabico Dioſcord.* habetur, & eſt *Coſti quoddam genus Zinzibri radici ſimile Cluſii in Garc.* Radix quæ in officinis proſtat & divenditur, cum deſcriptione noſtri Authoris quam maxime convenit; eſt enim ſaporis vappidi, ſubſtantiæ fibroſæ & capillatæ. Sæpius illam inter Radices Zedoariæ officinarum inveni. Germani illam pro vero *Coſto Arabico I. Theriacali* adhibent.

Malankúa Lat.
Mal.
Ben-tsjapó
bram.
Arab.

MALAN-KUA.

TABULA IX.

M*Alankua*, quaſi diceres *Kua Montana*, tertia ſpecies eſt Zinziberis, ſecundum Bramannes *Ben Tsjapo*, elato, pingui & limoſo gaudet ſolo. *Radix* bulboſa eſt, extus cineritia, coriacea membrana obducta, intus alba, denſa, aquea, undiquaque multis fibris obſeſſa, capillata, digitum craſſa, cui quamplurimi oblongo rotundi bulbi, bini & bini, trina ſupra ſe annectuntur ſerie, glabri, hinc inde minutiſſimis capillis inſtructi, denſi, perinde ac *Bulbocaſtana*, quos nomine *Kourka* inſigniunt, intus pingues & mucilaginoſi, *Zinziberis* odorem & ſaporem ſpirant, linguam minus vellicantes. E ſummitate radicis *calix* oritur, albus & membranaceus, inſtar ille *Croci*, cui flores includuntur quaterni vel quini, ex fundo calicis longis petiolis prodeuntes, tripetali vel etiam hexta petali, quorum tria, digitum longa, ſtramen lata, reliqua petala, ſive ipſum florem obtegunt, flore jam aperto, ſupine recumbentia; duo ex reliquis longa ſunt & anguſta, in acutum deſinentia, tertium illis ex adverſo eſt, bifariam diviſum, ita ut ipſe flos tetrapetalus videatur, mixti coloris eſt, ex cæruleo albo, purpureo, rubro, flavo; duo reliqua maxima parte alba ſunt, ita tamen ut dicti colores etiamnum, ſed obſcuri videantur; ex eodem calicis fundo ſimplex progreditur *filamentum* purpureum, quod cornuta & flava eminet lingua; gratiſſimi hi flores ſunt odoris, *Violas & Lilia* longe ſuperantes; ante folia e terra erumpentes, quibus deciduis *calix* intumeſcit, *capſulas ſeminales* efficiens. *Folia* cum illis *Kua* in totum conveniunt, excepto quod caules & ſurculi non ſeſe ita erigant, cubiti altitudinem non excedant, ſapor ut ille *Zinziberis*, odor idem. Semel quot annis floret hæc planta tempore pluvioſo, diu ſuperſtes eſt, in proprio nempe ſolo, quia bulbi ſemper de novo progerminant. In Malabaria

ad decem gradus altitudinis verſus Borealem partem Lineæ Æquinoctialis, pleno videbatur flore, qui menſe Junio ejuſdem anni Bataviæ, ad ſex gradus Lineæ Æquinoctialis verſus Auſtrum exſiccabatur, ubi menſe Decembri de novo florebat, tum enim illic loci pluviæ decidunt. Cum ex Indiis Europam peterem, ſeptimeſtri tempore, ter florebat, ac toties folia permutabat, donec menſe Auguſto tota conſumpta deprehenderetur. Ratio, quia tam brevi tempore toties ſoli expoſita, terra non tantum poterat ſubminiſtrare alimenti, quantum quidem ad ulteriorem conſervationem indigeret; quod & in eodem itinere in diverſis aliis plantis accidit & obſervatum eſt, quam plurimum enim fit, ut ſub linea æquinoctiali, aër nubibus obtegatur, unde pluviæ, quæ regiones ſub Zona torrida frugiferas faciunt, ſine illis enim omnia comburerentur & deſiccarentur. Tota planta in formam unguenti redacta, mirum in modum vulnera recenter inflicta ſanat; intus ſumta ſanguinem in corpore coagulatum, & omnem purulentam materiam conſumit; eſt & unguentum oculare. *Succus* radicis omnem pituitoſam & quaſi hydropicam materiam è manibus, pedibus, atque ipſis etiam articulis, quamvis quaſi emortui, & extra omnem naturalem motum videantur abigit.

TABULA 9.

Malan Kua à Cingalenſibus *Maha Kaluwa* vocatur. *Hermannus in prodrom. Parad. Batav.* dicit *Colchicum Ceylanicum flore Violæ, odore & colore ephemero*, & hoc ob ſimilitudinem florum. In officinis duplex ſpecies *Radicis Zedoariæ* invenitur; una nomine *Zedoariæ radice longa*, alia *Zedoariæ radice rotunda*, vel Belgicè *Blok Zedoar.* Meo judicio doct. Dom. *Jacobus Breynius* in ſua *prodromo ſecund:* non male judicavit hanc *Malan Kua* eſſe *Zedoariam radice rotunda.* In Horto Medico Amſtelod. has radices è terra effodi, quando folia jam perierant, & exſiccavi, quæ cum illis *Zedoariæ rotundæ*, quoad ſaporem & odorem, in totum conveniebant; ita ut nullus dubitem quin una ſit & eadem, quamvis *Lobelius* in illa ſtet ſententia, longam & rotundam Zedoariam, radices unius & ejuſdem eſſe plantæ; ſed ignoſcendum viro, nunquam enim has virentes vidit.

Kæmpferia pandurata
Curcuma rotunda

Mánja-kúa *lat.*

മഞ്ഞക്കൂവ *Mal.*

Daví-kúa

दवीकुवा *bram.*

ماغجا فحوا *Arab.*

MANJA-KUA.

TABULA X.

QUarta ſpecies, & minima *Curcumæ.* Malabares *Manja* dicunt, Bramines *Davikua*, Luſitani *Raiz do Zafraõ.* *Radix* bulboſa eſt, pollicem & quod ſupereſt craſſa, extus glabra, nitens, tenuiſſima membrana quaſi obvelata, intus flava, denſa, carnoſa, tranſverſim diſſecta, variis auranceis, rubris, flavis circulis notata, ſine ullis, quantum animadverti poſſit venulis vel nervulis, non admodum longa, exterius multis radicibus capillaribus inſtructa, fortiſſimi ſaporis & odoris, Crocum & Zinziberem æmulantis. *Folia* cum illis *Kua* quam maximè conveniunt, ſed reſpectu longitudinis paulo latiora, grati odoris, ſaporis ſubamari. *Flores* illic loci proveniunt, ubi folia ſe aperiunt, ſex vel ſeptem ſimul, ſine longis petiolis, monopetali, difformes, quadrifariam diviſi, albi, circa pedem aliquantulum rubri, odoris expertes, ſaporis amari, teneres ſunt & aquei, intra biduum vel triduum pereuntes. *Semina* è pede calicis proveniunt, ut illa *Tsjanakua*, non tam magna ſunt, nec capſulæ ita trigonæ, ſed plana, intra membranulam juxta ſe ſita, rariſſime ad maturitatem pervenientia. Semel quot annis hæc planta folia profert & fructus, menſe nempe Aprili & Mayo, diu ſuperſtes eſt, ſemper enim novi ſurculi è radice progerminant. *Succus* radicis dyſenteriam & immodicum menſium ſiſtit fluxum, vires corroborat, ſpiritus reficit, ſanguinem purgat, mixtus cum aliis medicamentis, inveteratos ex frigore ſanat morbos.

TABULA 10.

Ut *Zedoariæ*, ita & duæ inveniuntur ſpecies *Curcumæ*, experientia id ita teſtante; in officinis enim duæ divenduntur ſpecies, una nomine *Blok Curcuma*, cujus radix rotunda, ſed non tanti valoris ac vigoris ut illa alia. Nos diceremus *Curcuma radice rotunda*, & eſt ipſiſſima quæ à noſtro Autore deſcribitur, ſub nomine *Manja Kua* Doctiſſ. *Caſp. Baubin. in Pinac.* etiam *longæ* & *rotundæ* mentionem facit *Curcumæ* ſed perinde quaſi unius & ejuſdem plantæ radices eſſent, cum tamen contrarium apud noſtrum conſtet Authorem.

Curcuma longa

MANJELLA KUA.

TABULA XI.

M*Anjella Kua* quinta ſpecies, Bramannes dicunt *Alady*, vera *Cucuma* eſt, omne amans ſolum. *Radix* ut illa Zinziberis bulboſa eſt, duos digitos craſſa, extus eleganti flavo colore tincta, intus rubeo aqueo, qui etiam flaveſcit, denſa, carnoſa, nullis circulis interſtincta, ſed ejuſdem ubique coloris, multis minoribus radiculis, quæ capillatis fibrillis obducuntur, inſtructa, perinde ac illa *Manja Kua*, gratiſſimi odoris & ſaporis, aſt fortioris. *Folia* proveniunt ut illa *Kua*, ſed illorum caules ſeu pedes, poſtquam à ſtipite receſſerint, longiores ſunt. *Coſtulæ* quæ ex medio folii utrimque transverſim ad anteriora excurrunt, propius junctæ & ſubtiliores ſunt. *Folium* ipſum majus eſt & dilutius. *Flores* in vertice junctorum oriuntur foliorum, forma ut illi *Manja Kua*, etiam *ſemina*, ita ut inter hanc plantam & *Manja Kua* exiguum intercedat diſcrimen, excepta magnitudine, & præſtantiori virtute, odore & ſapore. Non tantum in deſertis reperitur, ſed etiam in agris excolitur, & hoc lucri cauſa, nulla enim familia eſt quin illis inter edulia utitur. Europæi illic loci degentes, *Croci* loco eſt. Etiam in tingendis linteis adhibetur. *Succus* cum *radice* contuſus vel levigatus orificium reficit, halitum gratum facit, exhilarat, melancholiam pellit, ſanguinem purgat, venerem excitat, ventriculum & cerebrum confortat, obſtructiones renum, veſicæ tollit, menſtrua provocat, leniter alvum laxat, hydropiſin curat. Brevi, omnium conſenſu planta præexcellens eſt & excellentiſſimis præditis virtutibus.

TABULA II.

Planta hæc ab Authore noſtro deſcripta, vera eſt & ipſiſſima *Cucuma*. Ab aliquot annis in *Horto Med. Amſtel.* illam excolui, & fateor ad amuſſim cum deſcriptione hac convenire. Diſtinguitur à *Kua* in illis, quod foliorum caulis ſit dilutior. *Bontii* delineatio nihil valet, figuram enim *Cannæ Indicæ* pro illa ponit. Delineatio *D°. Hermanni* etiam deficit, & cum illa noſtri Authoris minimè conveniens, præſertim in *progreſſu floris*, qui multo melius ab Authore noſtro eſt obſervatus. Radix hæc quæ apud Indos in magno eſt uſu, *Borri-Borri* ab illis vocatur, reliqua cognomina videri poſſunt apud *Bauhinum in Pinac.*

Amomum Zingiber off.

Inſchi lat.

ഇഞ്ചി Mal.

زنجبيل Arab.

आले bram.

INSCHI vel INSCHI KUA.

TABULA XII.

SExta ſpecies; Bramannes dicunt *Alè*, ipſiſſima planta eſt, quam nos *Zinziber* vocamus, quæ iterum in tres dividitur ſpecies. *Inſchi*, *Katou Inſchi* & *Mala Inſchi Kua*. Inſchi tantum dicit ac fervidum, calidum, urens, quia reliquæ *Kua* ſpecies linguam non ita pungant nec vellicent. Planta eſt excreſcens ad altitudinem duorum triumve pedum. *Radix* bulboſa eſt, multis tenuibus, curvis ligneis, capillatis fibrillis ſeſe terræ affigens; intus ex flava albeſcens, denſa, multis filamentis & nervulis in longitudinem pertexta, ſæpius tres pollices lata, in medio craſſa, ſpithamam & quod ſupereſt longa, ſed tum facile frangitur, quæ cauſa eſt, quare exſiccata, rariſſimè tam magna videatur. Sapor dulcamarus eſt, fervidus, omnibus pene notus. *Surculi* multis in locis è radice progerminant, digitum craſſi, arudinacei, geniculati, intus virides, corculo humido inſtructi, rotundi, glabri, nitentes, ſimplices, non diviſi, ubique pede calici formi foliorum ita obvoluti, ut caulis in totum ab illis obtegatur, quæ folia in ſolo vertice prodientia, in proceſſu ſurculi ſubſiſtunt, illic loci ubi ſurculo inſeruntur, arundinaceos circulos relinquentia. Saporis & odoris ſunt aquei, fortis, grati. *Folia* ſpithamam longa, duos digitos lata, pedetentim in acutum deſinentia, in adverſa parte *coſta* eminente inſtructa, quæ in recta ſtriam relinquit, fuſco viridia, glabra, nitentia; fortiſſimi & gratiſſimi ſunt odoris, ſaporis dulcamari, linguam non ita vellicantia quam quidem ipſa radix. *Flores* ut illi *Tsjana Kua* in vertice ſurculi proveniunt, ſed in illo differunt, quod ex tubere florifero non ex gemmulis, ſed ex cochleato cavis conſtent foliolis. *Folia* hæc ſimulatque ab aëre afficiuntur, illic loci primò ſunt viridia, deinde corallorubra, aſt ubi ſe ipſa ob-

obtegunt, flaveſcentia, quæ tandem etiam rubeſcunt, ſquammatim optima ſerie diſpoſita, glabra, nitentia. *Flores* infra cochleata tuberis proveniunt foliola, medio ſtylo affixi, cui etiam foliola anneɛtuntur, monopetali, difformes, quadripartiti, viridi flavi, in principio alba membranula incluſi. Unum petalorum longiſſimum eſt & erectum, cavum, introrſum inflexum, duo reliqua anguſta ſunt & minora, extrorſum reflexa, quartum brevius eſt & latius, biſectum, cum margine rubro, flavis punctis aſperſum. In medio ex pede calicis tenue, album prodit *filamentum*, cujus *lingula* oblonga, flava. Odor admodum exiguus eſt, ſed contuſi cum illo foliorum convenit. Ultra diem aut biduum non ſuperſunt, citoque pereunt. *Semina* ſequuntur flores, tenui, alba, interſtincta membranula incluſa, ubi inordinata ſerie minutiſſimis fibrillis ſtylo annexa, & cochleato cava foliola tuberis elevant, oblonga, depreſſo rotunda, ab una parte parum convexa, in longitudine paralellis ſtriis exarata, extus nigra, nitentia, intus alba, oleoſa, pingui medulla. Odor & ſapor ut ille foliorum. E radice, per ſimplicem deſtillationem, ſæpius oleum collegi, ab omni parte quoad ſaporem & odorem, cum radice conveniens, ſed non ita fervens nec ardens, de cætero valde limpidum, transparens, rubrum, aquæ innatans. Menſe Aprili, in terra bene exculta, ſeritur hæc planta, è terra eximitur, replantatatur atque ita excolitur; annua è terra eximitur, per quatuordecim dies in ſole exſiccatur, cineribus ex ligno, vel etiam calce aſpergitur, atque ſic conſervatur, alias tineæ & corruptioni admodum eſt obnoxia, tum vel exſiccata vel ſaccharo condita ubique locorum transmittitur. Arenoſum & non bene excultum reſpuit ſolum, & plusquam annua ligneis filamentis adimpletur. Etiam in ſylvis & deſertis reperitur, diuque ſua natura ſuperſtes eſt, ſæpius bis & pluries folia renovat, quæ ut plurimum menſe Januario & Februario exareſcunt. Præcipuus uſus in radice eſt, quæ præterquam quod in eduliis adhibeatur, etiam intus ſumta aſtmathi, tuſſi, pituitæ viſcidæ, nauſeæ, ven-

ventriculo male diſpoſito conducit, exterius applicata artuum dolores, chiragram & podogram tollit. Cum aqua contuſa & oculis infuſa, vertiginem ſanat, illam nempe, quæ poſt partum mulieribus non bene per menſtra purgatis, accidit, quæ niſi in tempore curetur, epilepſias, paralyſes, manias, imo ipſam mortem, in illis regionibus ſæpiſſime producit.

TABULA 12.

Inſchi vel Zinziber tam accurate & perfecte ab authore noſtro eſt deſcriptus & delineatus, ut ulterius quid addere ſupervacaneum duxerim.

Amomum Zerumbet.

Káttú-inſchi lat.

Mal.

Arab.

कोलीजाणे bram.

KATOU INSCHI KUA.

TABULA XIII.

BRamannes dicunt *Kolinyane* ſeptima ſpecies, quaſi diceres Zinziber ſylveſtris. In totum cum præcedenti convenit planta, ſed odor neque ſapor tam fortis nec aromaticus, omnes etiam partes multo majores ſunt; *folia* illis *Manja Kua* per quam ſimilia ſunt. Etiam vires pene eædem ſunt ut illæ *Inſchi Kua*, ſed non tanti valoris neque præſtantiæ. Indigenæ, lucri cauſa, hanc cum præcedente commiſcent. Sed notandum quod hæc neque ex ſemine producatur neque excolatur, atque ideo merito pro ſylveſtri habenda.

TAB. 13.

Zinziber eſt ſylveſtris. A *Piſone* in *Mantiſſa Aromat. Cap.* 12. deſcribitur & ab eo *Zinziber Mas* vocatur, ab *Hernando Anchoa.*

Alpinia
(Hellenia) Allughas.

Mála-jntſchi-kúa lat.

കലഞ്ചി Mal.

[illegible] Arab.

कोलिंजणे bram.

MALA INSCHI KUA.

TABULA XIV.

OCtava *Kua* ſpecies & tertia *Zinziberis*; Bramannes dicunt *Giri Kolinjane*, quaſi *Zinziber montanus*, altitudine omnes priores antecedens. *Radix* cum illa *Inſchy* convenit, ſed duplo craſſior, aquæa, vappida, Zinziberis aliquo modo odorem & ſaporem ſpirans. *Surculi*, ortus, *Folia*, ut *Katu Inſchy*, ſed hæc multo longiora & latiora, ſapor & odor cum illo radicis convenit. Caulis *florum* quæ medulla eſt plantæ, ad cubiti altitudinem ſeſe erigit è vertice foliorum, rotundus & undiquaque multitudine florum obtectus, brevibus petiolis brevibuſque ramulis, quaterni vel quini, cauli affixi, qui glaber, viridis & nitens; grati & jucundi odoris *Fructus* ex pede florum proveniunt, oblongo rotundi, formam referentes ſeminum arboris *Kavalam*, ſed paulo longiores, primo virentes & glabri, deinde rubri & nitentes, cortice craſſo, membranaceo, uvarum inſtar, intus denſa carne vel medulla, quæ ruffa eſt, intra quam concluduntur *ſemina*; duo vel tria numero, alba, tenui membrana incluſa, oblongo rotunda, ab una parte rotunda, dura, nigra, nitentia, intus alba, oleoſa & unguentoſa, *nucleus* amigdalum refert; ſaporis amari, odor ut ille *Zinziberis*. Provenit ut *Katu Inſchy*, non excolitur neque in eduliis adhibetur. *Succus* è radice recenti expreſſus, intus & extus Podagricis datur; cocta radix dolorem capitis aufert, in vino macerata omnes artuum cruciatus è frigore ortos tollit, in pulverem redacta, cum ſucco *Raphani* permixta, & epota, calculos diminuit, arenulas è renibus deterget, mulierum colicam ſiſtit, menſtrua provocat; ſuccus cum vino coctus lochias promovet, ſanguinem purgat; & efficaciſſime ſecundinas expurgat.

TABULA 14.

Inter alias etiam hanc plantam ex Ceylane conſecutus ſum, quam in *Horto Medico* excolui, in cujus Catologo a me vocatam invenies *Arum Polyphyllum*, *Dracunculus* & *Serpentaria* dictum *Ceylanicum*, *caule glabro*, *viridi-diluto*, maculis albis notato, majus & elatius.

Aponogeton monostachyos

Párúa-kelángú Lat.

പരുവകിഴങ്ങ Mal.

بَجَارُوعْ فَحَاكَالَانْغُو Arab.

आलऊ bram.

PARUA-KELANGA.

TABULA XV.

PLantula eſt altitudine duarum ſpithamarum, naſcens in aquis minus profundis. *Radix* glanduloſa eſt, intus albicans & aquea, plurimas radices fibroſas, quæ prius albicant, dein flaveſcunt, ejiciens, ſaporis expers. *Caules* tenues, ſimplices, fiſtuloſi, alii triangulati, alii rotundi, virides, inferius albicantes. *Folia* ex ſummitate cauliculorum triangulatorum recta prodeunt, ex ſingulis unum, ligonem referunt, oblongo anguſta, interius latiora, circa petiolum rotundis oris anterius in cuſpidem contracta, ſuperficie plana, contextura lenia, mollia, mediocris craſſitiei. *Coſta* in adverſa eminet, ut & venulæ tenues, utrinque duæ; quibus in longum ſtriantur; *caules*, triangulati è quibus folia proveniunt, in interiori foliorum parte, planiores. *Flores* congregatim ac velut ſpicatim, in ſummitate propriorum, rotundorum, viridium cauliculorum videntur, albicantes, ſubpurpurei; conflati ex *ſtaminulis* aliis craſſioribus, aliis tenuibus, quæ *apicibus* purpureorubris dotantur, quorum petala rotundiola, parva, primum ſcutellatim poſita ac ſtamina obtegentia, ſed cauliculi, quem cingunt, ſummitate excreſcente, à ſe mutuo diſſita; temporis progreſſu tam petala quam ſtaminula virideſcunt, quæ poſteriora in *gemmas* mutantur rotundas, virides, ſpiculo munitas, in quibus *ſemina* parva, oblongo rotunda, primum viridia, dein nigricantia. Addendum inſuper quod plantula hæc è ſua radice glanduloſa à latere, ſimilem radicem producat, qua propagatur. In Medicina nullum obtinet uſum.

TABULA 15.

A nemine cum deſcripta ſit hæc planta, meo judicio vocari debet *Plantagini affinis Indica*, floribus ſub purpureis, radice glanduloſa.

NIR-



Nir-tsjembú lat.

നീർചെമ്പ് Mal.

نيرْ جچِهْمبا Arab.

Tab. 17.

Nelenſchéna minor lat.

നിലംചേന Mal.

Toró

तोरो bram.

نيلانْ جِچهِنعْ Arab.

NIR-TSJENBU.

TABULA XVI.

PLanta aquatilis eſt. *Radix* aquoſa, carnoſa, albicans, plurimis fibris albicantibus ſe fundo aquæ affigens. *Folia* caulibus, qui ex radice exoriuntur, ac viridi albicantes, molles, & intus fungoſi ſunt, ſurrecta inſident, ſuperiori parte viridia, inferiori, ubi multis eminentibus obducuntur *coſtis* rubro cæruleſcentia, haſtiformia, craſſiola. *Flores* caulibus, qui ex radice oriuntur, inſident in propriis ſuis ac viridibus involucris, ſuntque ligulæ oblongæ, rotundæ, albicantes, carnoſæ, quæ pedunculo ſtrictiore, ex craſſo, rotundo, rubro, ac bulbulis ſcabroſo nodo, emicant. Nullius uſus in Medicina.

TABULA 16.

Ariſarum mihi hæc planta eſt *Indicum Aquaticum cum piſtillo rubro, pediculo globulo adhærente.*

NELENSCHENA MINOR.

TABULA XVII.

PLantula humilis, naſcens in arenoſis & petroſis. *Radix* fibris, oblongis, albicantibus veſtita. *Folia* in petiolis verſus inferiora incurvatis, candidis, aqueis, theciformis cavitatis, ſuperiora verſus viridibus, proveniunt; oblonga ſunt, anguſta, obtuſo cuſpide, ſinuoſa, utrinque nonnihil nitentia. *Coſta* craſſa, albicans, cum ſuis venulis, in adverſa parte eminet. *Florum* loco, in oblongo, folioſo, theciformi, viridi diluto involucro, cujus collum inferius inflatum eſt & rubeſcit, & hiatu è vertice verſus inferiora, ſe magis magiſque aperit, reconditus eſt *ſtylus* oblongus, rubeſcens, ſuperiori parte *capitulo* flavo, inferiori in colli foliacei parte gemmulis oblongis, flavoruffis obſitus, paulo infra capitulum nodo the-

theciformi, qui oblongus & gemmulis quaſi granulatus, incarnatus & ſub purpureus eſt, circumdatus. Potio ex foliis præparata colicos mitigat dolores.

Tabula 17.

Ego dicerem *Ariſarum Indicum petræum humile, radice fibroſa, piſtillo rubro adhærente, granulis purpuraſcentibus.*

Schéna lat.

ചേന Mal.

جهناء Arab.

bram

SCHENA.

TABULA XVIII.

Quatuor hujus plantæ ſunt ſpecies. *Schéna*, *Nelenſchena*, *Cattu-Schena*, *Mulen-Schena*. Prima Bramannibus dicitur *Surno*, arenoſis gaudens,altitudine trium quatuorve pedum. *Radix* prægrandis, plana, rotunda, ſpithamam ferme longa, craſſa, cubitum pene lata, ſuperiori parte, circa caules, fibris albicantibus, in orbem circumdata, intus denſa, ſucculenta, unctuoſa & ex albicante ſubflava carne, ſaporis aquei & nonnihil pungentie, in eduliis eſt & in foris divenditur. *Caulis* è radice, ubi candidus eſt, exſurgit unicus, ſuperne in tres ramulos, qui hinc inde ſurculos minores emittunt, & in duos magis craſſiores aliquando divaricantur, diviſus; ſuntque & caules & ramuli teneri, molles, glabri, viridi diluti, albicantes, undulis viridi fuſcis variegati, intus humidi, pulpa albicante, fungoſa, humorem ex fiſtulis exſtillantes clarum, ſubrubeſcentem, qui in manum incidens, eam nonnihil pungit, & in aëre inſpiſſatur. *Folia*, quæ ramos ſurculoſque caulis, in quos diviſus eſt, inveſtiunt, oblongo rotunda ſunt, anguſta, ſuperius cuſpidata, viridi clara, ex inferiori parte caulis prodeuntia, caulem anguſta lacinia, velut alatum reddentia, linguam acriter pungunt ac lancinant. Nervuli è *coſta* media denſi, obliquo ac paralello ductu, exeunt, qui à margine reflexi, limbulum illic loci relinquunt, una cum *coſta* in adverſa eminentes & rectam partem ſtriantes. *Flores* filii ſunt ante patrem, proveniuntque in capitulo oblongo, quod cum foliolo, craſſo, albicante, intuſque ſubrubeſcente involucro è radice exſurgit, ſuntque *gemmæ* flaveſcentes capitulo circumpoſitæ, quarum inferiores majores, ſuperiores minores: illis deciduis caulis, foliis veſtitus, prodit. Tempore pluvioſo tantum reperitur, æſtivo cum inferiori

parte

parte radicis emoritur, cujus ſuperior pars, fibris circumdata eſt & remanet, & denuo in craſſam excreſcit radicem. *Bulbus* in partes diſciſſus, in ſole exſiccatus & pulveriſatus cum lacte vaccino atrabilariis propinatur.

TABULA 18.

Ex Ceylane plantam hanc conſecutus ſum, quam etiam in Horto Medico excolui, in illius Catalogo à me vocatur *Arum Polyphyllum, Dracunculus* & *Serpentaria* dictum, *Ceylanicum, caule glabro, viridi diluto, maculis albicantibus notato, majus & elatius.*

Múlenſchena lat.

മുളെളുഞ്ചെന Mal.

مولنجهنا Arab.

कात्रञ्जोस्ङ्ङ bram.

MULENSCHENA.

TABULA XIX.

SPecies *Schena*; lingua Bramannum *Caleri-Surno*, cæteris elatior, ad altitudinem ferme quinque pedum aſſurgens, maxima ex parte cum *Schena* conveniens; ſed *radix* grandior eſt, *caulis* craſſior, pene in plures ramos bivaricatus, numeroſioribus foliis veſtitus; in cortice, qui exterius viridi dilutus, albicans, undulis, viridifuſcis perfuſus, pulchrè variegatus, denſis aſperiſque & extuberantibus gemmis obſitus, inciſus uberiorem aquæ copiam exſtillans; linguam acerrime pungens & lancinans. *Radix* contrita & cum capræ lacte aſſumpta, vires corroborat.

TAB. 19.

In Catalogo *Hort. Med. Amſtelod.* à me vocatur *Arum Polyphyllum, Dracunculus & Serpentaria dictum, Ceylanicum, caule aſpero, maculis viridiſuſcis, & viridi-dilutis albicantibus pulchre notato.* Ab *Hermanno* in *Prodrom. Parad. Batav. Arum Polyphyllum, Dracuntium & Serpentaria dictum, folio ramoſo, Pæoniæ inſtar, caule aſpero, Ceylanicum.*

Typhonium cuspidatum.

Nelenſchena major lat.

നിലംചേന Mal.

نعلام جهنانم Arab.

[illegible] bram.



NELENSCHENA MAJOR.

TABULA XX.

SEcunda ſpecies *Schena*; Bramannes dicunt *Cayeri-Surno*, naſcitur in arenoſis, udo maxime gaudens ſolo, altitudine pedis. *Radix* alba, pugnum craſſa, denſa, aquea, plurimas albicantes & barbatas fibras, quæ poſtmodum flaveſcunt & in annulos corrugantur, emittens, linguam acerrime urens, ad propagationem ſui ſimilis plantæ, novellos ex ſe oculos edens. *Cauliculi* plures ex radice proveniunt, teneri, rotundioli, interius ſtriati, virides, ad radicem albicantes ac follicoſi, quibus folliculis ſe mutuo involvunt, ſpithamam plus minus longi. *Folia* è ſummitate caulium protenduntur, oblonga, ligonem oblongum ac rotundo cuſpidatum, referentia, rotundis oris in cuſpidem contracta, tenuia, plana, viridi fuſca, in parte adverſa maxime nitentia. *Coſta* media cum transverſis in adverſa parte nonnihil eminet. *Flores* in propriis cauliculis, qui inter foliorum caules ex radice exſurgunt, videntur, rotundi, virides, venulis in longum ſtriati, intra folliculum caudatum *ſtylum* oblungum recondentes, cujus pedi circumponuntur; illorum petala albicant, anterius bifida, interiora verſus inflexa, quorum ora rubrum referunt colorem. *Semina* in inferiori parte pedis ſtyli, qui plurimis nodulis concinne ad ſe inviciem poſitis eſt circumdatus, è nodulis erumpunt, oblongo rotunda, primo viridia, ea parte qua extra nodulos emicant, contractiora & albicantia. Non niſi tempore pluvioſo hæc planta reperitur. *Bulbus* in pulverem redactus, cum butyro & ſaccharo ſumtus alvum adſtringit.

TABULA 20.

Species eſt *Ari minoris*, & forſan *Arum minus Ceylanicum Sagittariæ folio*, *Herman. Prodrom. Paradiſ. Batav.*

Kátú-Schéna Lat.

കാട്ടുചേന Mal.

كاطُ چيناء Arab.

सुरण bram.



KATU-SCHENA.

TABULA XXI.

TErtia ſpecies *Schena*; Bramannum lingua *Cajuro-Surno*, naſcitur in arenoſis ad altitudinem duum pedum. *Radix* duriola, ruffa, fibroſa, unicum emittens caulem, & duum ferme digitorum transverſorum intervallo, inferiora verſus, brevem demittens pedem, cui nova radix adnaſcitur, quæ, priori emortua, ad propagationem novæ remanet plantæ. *Caulis* ſimplex eſt, viridi dilutus, ſtriatus, aqueus, in nullos cauliculos diviſus, inferius, intervallo trium quatuorve transverſorum digitorum albicans & extuberans, ſupra extuberantiam tenuior; tria ex illius ſummitate prodeunt *folia*, quorum duo lateralia in duas majores lacinias, ad quas minores adhuc laciniæ appendunt, diviſa ſunt, rotundiolis oris, in cuſpidem contracta, tenuia, mollia, in utraque parte viridi diluta, linguam urentia. *Coſta* media cum lateralibus viridi diluta & albicans, in adverſa parte eminet, rectam ſtriat. Floribus deſtituitur. *Bulbus* contritus & in decocto cum *oleo* datus fluxum ſiſtit hæmorroidum; cum *lacte* acido aſſumptus appetitum excitat.

TABULA 21.

Katu-Schena, quaſi diceres *Schena Sylveſtris* à me vocatur *Arum Malabaricum minus polyphyllum*, *radice globoſa*.


Pars 11. Tab. 22.
Wéli-ilá lat.
വെളി Mal.
Téro
तोचो bram.
وهلي Arab.

WELIILA.

TABULA XXII.

PLanta eſt aquatica. *Radix* craſſa, fibris denſis, longis, ruffis, capillatis, in orbem veſtita, hinc inde à latere fibras oblongiores, craſſiores, geniculatos, ad novæ plantæ productionem, emittens, intus carne albicante, denſa, ſuccoſa. *Caules* è radice exeunt plures, virides, alii in quorum vertice folium inſidet, alii in vertice florem gerunt, omnes fungoſi, tubuloſi, molles, teneri, intus albicantes, aquei, inciſi liquorem nonnihil viſcoſum exſudantes; illi in quibus folia videntur, ab una parte craſſiores ſunt, maxime ad radicem, ubi candidi ſunt coloris, verſus folium ſenſim extenuati, ſuperius circa faſtigium rotundi, paulo inferius ab una parte late ac profunde excavati, intra cavitatem, tanquam thecam, caules florigeros recipientes, qui rotundi, nonnihil plani ac tenuiores, æquali ferme craſſitiei, non tam alti, membranoſo, tenui, albicante & tranſparente involucro, quod exterius duobus limbulis obſitum eſt, circumdati. *Folia* oblonga ſunt & prægrandia, anteriora verſus ſenſim in cuſpidem contracta, à poſtica parte, verſus quam ſe latius exporrigunt, utrinque in cuſpidem protenſa, ſinu ſeu angulo, inter duos cuſpides, ceu pedes folii, profunde exciſa, in oris limbulo circumdata, denſæ & ſubtilis texturæ, mollia, ſuperficie valde æquali, plano, viroris in recta parte vividi, pleni, ſubcærulei, in adverſa magis clari, ſaporis adurentis, ſed cocta in eduliis. *Coſta* cum lateralibus in adverſa parte quam maxime eminet. In cacumine propriorum caulium, in theca ſeu involucro flavo rubeſcente, ceu croceo, ſpithamam ferme longo, involutum ac reconditum eſt *capitulum* oblongum, craſſiuſculum, duriolum, globulis, ſeu gemmulis condenſis, flavorubeſcentibus ceu croceis, in oris dentatis, obſitum;

in

in collo capituli, quod brevius eſt & craſſius, ac theca viridi extuberante reconditum, *gemmulæ* planæ majores ac irregularis formæ, infra globulos flocculoſos, condenſo ordine reſident, illæ fructus ſunt primordia, & cum floſculis ſimul proveniunt; ſuntque hæ *gemmæ* in collo primum in totum candidæ, dein, cum magis extuberant, virides, quo colore in una parte tinguntur, vertice adhuc albicante, quædam citiores, aliæ tardiores, adeo ut gemmulis candidis hinc inde virides interpoſitæ conſpiciantur; ubi maturuere complanatæ ſunt, in medio vertice umbilico parvo notatæ, coloris ex flavo intenſius rubeſcentis ac aurancei, molles, ſucculentæ, ſuntque tunc ſaporis ſubdulcis, & in eduliis adhibentur. *Capitulum* medium ſeu *ſtylus*, uti & fructuum *gemmæ* immaturæ, ſaporis adurentis; gemmis hiſce matureſcentibus, capitulum à collo decidit. *Semina* in ſingulis gemmis ceu fructubus novem, decem, plus minus recondita ſunt, rotundo oblonga, cuſpidata, ex albicante ſubruffa, parum nitentia. *Folia* trita, affata, noduloque implicita, fotum exhibent, partibus, ex nervorum compreſſione, ſtupore affectis, conducens; Raſura *fructus*, rubrarum *formicarum* ovis permixta, idem præſtat. *Bulbus* radicis ſanguifluæ medetur gonorrhææ.

TABULA 22.

Poſſet appellari hæc planta *Arum paluſtre Malabaricum, folio Nimphææ, radice arundinacea.*

Karin-póla lat.
Mal.
Arab.

KARIN-POLA.

TABULA XXIII.

EST & hæc planta aquatica, cujus *radix* oblonga, craſſa, carne albicante & aquea, fibris oblongis, rotundis, albicantibus craſſis inſtructa. *Caules* quibus folia inſident, omnes ex radice exoriuntur, interius nonnihil plani, maxime circa pedem, ſuperiori parte ſtrictiores, *coſtam* foliorum conſtituentes, viridi fuſci, dilute rubeſcentes, intus fungoſi & aquei, viroris in recta parte ſaturi & nitentis, in adverſa dilutioris. *Folia* oblongo rotunda ſunt, in cuſpidem deſinentia, in oris nonnihil criſpata, mollia, lenia, ſuperficie plana & glabra, venis, ex *coſta* media oblique adſcendentibus, ſtriata, illa craſſa eſt, altum in recta parte eminens. *Flores* in propriis caulibus, qui & ex radice oriuntur, ac virides, fungoſi, aquei, nonnihil plani ſunt, ſuperne collo craſſiolo turgentes, ac ibi rubeſcentes proveniunt, ampli, cochleatim quaſi turbinati, cuſpide intorto, carnoſi, exterius ſcabri, purpureo rubri, interius rugoſi, rubroſanguinei. Inferius ex globulo rubeſcente glomulato, in fundo colli ſito, exſurgit *ſtylus* candidus, *capitulo* flavo, oblongo, granulato nodulatus, per theculam capitatam, fungoſam, rubeſcentem & rugis obſitam, in medio hiantem, ſe transmittens. *Globulus* qui, floribus deciduis, in fundo colli apparet, rubeſcit, ſpiris inſtructus, juxta ſpirarum tractum granulis eminentibus, ſuperne planis ac ruffeſcentibus, obductus. In hoc *ſemina* in numeroſis includuntur cavernulis carnoſis, viridibus, proxime ad corticem recondita, in ſingulis cavernulis unum, oblongum, primum albicans, inferius rubeſcens, dein in totum rubeſcens, transverſim in globulo in longitudine ſitum, ſtylo carneo albicante circumpoſitum. Balneum ex hac planta præparatum omnem corporis æſtum reficit.

TABULA 23.

Eſt & hæc ſpecies *Ari*.

Pongati lat.

പൊങ്ങാട്ടി Mal.

يُانْغَاطِيْ Arab.

PONGATI.

TABULA XXIV.

PLanta aquatica, cui *radix* valde fibroſa, albicans. *Caulis* è radice exſurgens aqueus, fungoſus, viridi dilutus, novos caules à latere emittens, intus larga cavitate, corculo viridi fuſco, ex quo verſus corticem membranacea excurrunt interſepimenta. *Folia* pedunculis viridi dilutis interius planis, cauli appendent, oblongo anguſta, in cuſpidem ſtricta, languida, mollia, tenuia, lenia, viroris in recta parte ſaturi, in adverſa clari, ubi numeroſis eminentibus nervis, ex *coſta* media, ſtriantur, ſaporis ingrati. *Flores* in cacumine caulium plures congregati videntur, in capitulo oblongo, gemmæ ſunt rotundæ, quæ apertæ pentapetalæ ſunt & candidæ. Illis ſuccedunt *globuli* ſeminales rotundi, virides, aliquo modo cuſpidati, intra florum petala, ferme incluſi. *Semina* in illis arenacea, numeroſa, conferta congerie, inſtar piſcium ſeminis, in ſuperficie viridis globuli, qui interſepimento medio bifidus, conſita. Inferiores florum gemmæ ſe prius aperiunt, ſuperiores tardius. De viribus altum eſt ſilentium.

TABULA 24.

Cum aliis plantis aquaticis ne minimam quidem habet convenientiam, ita ut plura de illa dicere non conſultum duxerim.

Plectranthus rotundifolius

Kúrka Lat.

കൂൎക്ക Mal.

Kúka

कुका bram.

قحورقا Arab.

KURKA.

TABULA XXV.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* rotunda, bulboſa, valde fibroſa, capillata, in fibris bulbis novellis inſtructa, intus denſa, aquea. *Cauliculi* quadrangulati & viridi clari. *Folia* ex lateribus cauliculorum, geminata & ordine decuſſato, proveniunt in petiolis longis, planis, craſſiolis, interius ſulcatis, ac nonnihil lanuginoſis, oblonga, rotundiola, exiguè ſerrata, in margine piloſa, pilis minutiſſimis & hirſutis obſita, craſſiuſcula, mollia, viridia. Ex *Coſta* media coſtulæ laterales, oblique anteriora verſus, excurrunt, venulis, quæ folium cancellatim pertexunt, comitatæ, rectam partem ſtriantes, in adverſa eminentes. De viribus nihil conſtat.

TABULA 25.

Plantam hanc ex Ceylone conſecutus ſum ſub nomine *Juſala*, nullos fert flores, propagatur per appendentes tuberes, perinde ac *Glans Terreſtris*, atque etiam eodem modo comeduntur.

Mo. Bot. Garden, 1898

A.M.

Ámbel Lat.

Mal.

عمبجل Arab.

कमल bram.

AMBEL.

TABULA XXVI.

AMbel variæ ſunt ſpecies, *Areca-Ambel*, *Cit-Ambel*, *Nedel-Ambel*, *Ottel-Ambel*, ſuntque omnes plantæ aquaticæ. Prior lingua Bramannum *Saluca* dicitur. *Radix* albicat, fibris fiſtulaceis albicantibus, ſapore aqueis, veſtita, ad propagationem novæ plantæ *radicem*, quam *Kelangu*, vocant, proferens, illa palmam longa evadit, craſſiuſcula, exterius nigricans, intus albicans, ſaporis aquei & ſubaſtringentis, in eduliis adhibetur. *Caules* rotundi, fiſtuloſi, ſimplices, ſine nodis, viridi diluti. *Folia* & *flores* in propriis proveniunt caulibus, ac illorum ſummitatibus inſident. Illa ſuperficei aquæ incumbunt, oblongo rotunda, rotunda anterius ora, teneriora autem, rotundo obtuſo cuſpide, poſtica parte, qua ex caule longe excurrunt, recta inciſione uſque ad caulem ferme diſciſſa, in margine rotundis denticulis arcuatim exciſa, in interiori ſuperficie plana, glabra, in recta parte viroris vividi & nitentis, in adverſa coloris rubri ſeu jecorini; in exteriori *coſtam* habent inter mediam, craſſam, altum eminentem, ramulos transverſos hinc inde emittentem, quæ ſe iterum in numeroſa dividunt brachia, & in dentium apices ramulos immittunt, utrinque quinque. *Flores* qui aperti extra aquas emicant, veluti roſæ ſunt, multopetali, petalis oblongo rotundis, anguſtis, anterius in cuſpidem leniter contractis, coloris candidi & roſaceo diluti, in exteriori ſerie petala majora ſunt & oblongiora, colore roſaceo, interius diluto & albicante, interius pleniori. Denſo numeroſorum longiorum *ſtaminum* ornantur penicillo, quæ latiuſcula, plana, flava, *ſtylo* medio brevi, lato, rotundo, in ſuperiori parte latiori, plano, in orbem circumpoſita & verſus illum inflexa, quorum illa in exteriori ſerie præ cæteris eminent, ma-

magis ſurrecta & minus inflexa; interiora & ſtylo proxima, non tam longa, verſus ſtylum magis excurvata; *ſtylus* ſuperius in ſua baſi roſa inſignitur, conſtans ex ſtaminulis flavis, brevioribus, maxime inflexis, ac verſus centrum contractis; exteriora folia, quæ flores in gemmis includunt, forma quoque oblonga ſunt, florum petalis ſimilia, exterius coloris viridis & venis rubeſcentibus in longum ſtriata, quorum ora etiam rubent, interior pars dilutior eſt & albicat. *Gemmæ* rotundæ ſunt & cuſpidatæ. *Semina* in ſtylo conſita ſunt numeroſa, interſepimentis membranaceis ac plicis a ſe invicem, in propriis cellulis ſejuncta, parva, rotundiola, primum albicantia, ſed matura ut *Naſturtii*, aſt fuſciora.

ARECA AMBEL.

EST & alia ſpecies *Areca Ambel* dicta, cujus florum petala paulo majora ſunt, coloris minus roſacei, magis candida; etiam *ſtylus*, cui *ſtamina* flava circumpoſita ſunt, in baſi conſignatus eſt roſa plana, conformata è coſtulis flavis, quæ ex nodulo medio, qui in centro baſis eſt, ad rotundam ejus orbitam excurrunt. Prioris ut & hujus bulboſa *radix* in decocto pro *dyſuria* propinatur. *Semina* ardorem oſſium reficiunt, cum ſacharo nempe condita & comeſta; folia cum illis *Ottel-Ambel* ſimul trita & cum *butyro* cocta errhinum præbent pro oculorum doloribus.

TAB. 26.

Omnes hæ plantæ ſpecies ſunt *Nymphææ*; prior hæc appellari poſſet *Nymphæa Indica, flore candido, folio in ambitu ſerrato.*

CIT-AMBEL.

TABULA XXVII.

CIt *Ambel*, quaſi diceres *Ambel minor*; ſecundum Bramannes *Caſturi Camalla* cum priori convenit, eſtque tantum minor ſpecies, *caulibus* tenerioribus, *foliis* minoribus ut & *ſeminibus*. Eſt & alia ſpecies ejuſdem nominis, in eo ſolum differens quod florum petala vel cærulea, vel rubra, vel alterius ſint coloris. *Flores* triti in decocto pro dyſuria adhibentur; cum *Zaccharo* ſumti vomitum ſiſtunt, tuſſim mitigant; *ſemina* cum *Zaccharo* uſurpata conveniens pro diabete ſunt medicatum.

TABULA 27.

Nymphæa hæc mihi eſt *Malabarica minor, folio ſerrato.*

Villarsie

Menyanthes indica ?

Nédel ámbel Lat.

നൈതലാമ്പൽ Mal.

نحلبفحهل عمبجهل Arab.

सुचीपकयाती bram.



NEDEL AMBEL.

TABULA XXVIII.

TErtia ſpecies *Ambel*, lingua Bramannum *Commodu*. *Radix*, quæ & ad propagationem minorem edit, rotundis, fiſtuloſis, & albicantibus eſt veſtita fibris. *Caules* è radicibus exſurgentes rotundi ſunt & fiſtuloſi, in vertice folia gerentes, quæ ſuperficiei aquæ incumbunt, alii illorum ſimplices ſunt, enodi, alii in ſupremis partibus, nonnihil infra folium quod in vertice videtur, nodulo interſtinguuntur, ex quo plures transverſos cauliculos emittunt, quoſdam craſſiores & longiores, quorum ſummitatibus folium, quoſdam tenuiores & minus longos, quorum ſummitatibus flores inſident. *Folia* ipſa minora ſunt quam illa *Citambel*, rotundiori forma ſeu minus oblonga, ad petiolum rotundis oris, non vero rectis, ut *Ambel*, inciſa, *coſtulis* minus craſſis ex petiolo ſtriata, inæquabili ora, non autem denticulis arcuatim inſtructa. *Flores* extra aquas aperti emicant, in totum candidi, pentapetali, petalis oblongo rotundis, cuſpidatis, tenuibus, ſtelliformiter expanſis, interiori parte ab uno latere, alio petalo, quod è medio, laciniæ inſtar, producitur, obtecta, interius filamentis denſis, candidis, longiuſculis in totum obſita. *Stamina* in illis decem, parva, tenuia, *apicibus* flavis & ſtriatis dotata, illorum quinque ſupra cætera eminent, & cum illis *capitulum* in medio viride, cuſpidatum, *capſulam ſeminalem* efficiens, in ſummitate nodulo parvo quatuor gemmularum ornatum. *Calyx* pentafolius eſt, quæ parva, oblongo anguſta, cuſpidata, viridi clariſſima. Florum *gemmæ* rotundæ ſunt & cuſpidatæ. Poſt flores capitula ſeu *gemmæ ſeminales* ſe produnt, illæ cuſpidatæ ſunt, numeroſa in ſe continentes *ſemina* rotunda, quæ primum albicant, ſed matura colorem ut ſe-

ſemina *Naſturtii* referunt, perinde ac illa *Ambel.* Integra planta trita & cum *butyro* coƈta & intus ſumta, antidotum eſt contra morſum ſerpentis *Cobra Capella* diƈti.

Tabula 28.

Hæc *Nymphææ minoris affinis Indica, flore albo, piloſo.*

Limnanthemum cristatum Griseb.

Tsjeroea-citámbel lat.

[illegible] mal.

Cumúdí

कुमुदा brum.

جبطحاوبل arab.



TSJEROEA CIT AMBEL.

TABULA XXIX.

MInor ſpecies eſt *Ambel*; folia & caules & radix, omni ex parte cum illis *Cit Ambel* conveniunt. *Flores* parvi ſunt ac ſimplices, pentapetali, oblongo rotundi, ſtelliformes, interius in ſingulorum petalorum medio, folioſa lacinia ſecundum longitudinem alati, in orificio capillis flavis obſiti. *Stamina* in illis quinque brevia, quæ inter petalorum interſtitia exſurgunt, *apicibus* ſurrectis ac albicantibus dotata, *ſtaminulis* quinque brevioribus interpoſitis, cum quibus ex medio orificio *globulus* viridis, cuſpidatus, ſtyli inſtar, ſe prodit. *Calyx* pentafolius eſt, quæ folia florum petalis decuſſatim interponuntur. Ex *bulbo* radicis in aqua, *vino aduſto butyroque* ex cocto, linimentum præparatur antihæmorrhoidale. Ex eodem cum *cancribus* terreſtribus in oleo frixo ἀκοῦστικον conficitur medicamentum, contra moleſtum capitis dolorem, temporibus nempe illinitum. Ex eodem cum utroque *ſandalo* & *lacte* fit potio ad corporis æſtum reſtringendum.

TAB. 29.

Nymphæa Indica minima, flore flavo.

Nelumbium speciosum

TAMARA.

TABULA XXX.

TRes hujus plantæ ſunt ſpecies, *Tamarà*, *Bem Tamara*, *Culy Tamara*; prior Bramannibus *Pada Mattu* dicitur, planta aquatica. *Radix* profunde demiſſa, craſſiola, nonnihil dura, fiſtuloſa, fiſtulis latis pervia, albicans, inferius nodoſa, è nodulis tenues fibras in orbem emittens, ſubtus radices, è quibus, tanquam primaria radice, novi prodeunt *Caules*; ſimplices hi ſunt, rotundi, fiſtuloſi, virides, punctis aſperſi. *Folia* ſingula ſuo inſident cauli, prægrandia, rotundiola, verſus interiora inflexa, craſſiuſcula, mollia, *Veluti* inſtar leniſſima, in recta parte viridi fuſca, aſt oblique aſpecta hiali, ceu ex viridi cærulei coloris, in adverſa viridi diluta. *Coſtæ* quæ viridi claræ & nitentes, ex caulis ſummitate, veluti radii è centro, exeunt, quæ poſtquam ad certa intervalla, ſingulæ in duos ramos bis terve ſunt divaricatæ, proxime ad oras in ſe invicem arcuatim & formicatim deferuntur; inter has, in adverſa parte tantum eminentes, venæ tranſverſæ mutuo inoculatæ conſpiciuntur. *Flores* qui caulibus propriis inſident, prægrandes ſunt, petalis conſtantes confertis, coloris roſacei albicantis, odoris grati *Anyſum* ſpirantis; *petala* ipſa, oblongorotunda ſunt, rotundis oris in cuſpidem contracta, venulis, ex unguiculis, in longum ſtriata, coloris roſacei, in ſuperiori parte magis ſaturi; exteriora majora ſunt ac latiora interioribus; hæc in duos, tres, pluresve inciduntur cuſpides, & *ſtaminulis* ornantur flavis, quæ cum *apicibus* ceu nodulis candidis, ex angulis inciſionis emicant. In medio florum denſus eſt *penicillus* longorum, planorum, croceorum *ſtaminum*, in ſummitate oblongis & candidis nodulis ornatorum, interiori parte futura candida, ex qua nodulus, itidem candidus, producitur, ſtriatorum; ille circumpoſitus eſt *ſtylo* ro-

rotundo, luteo, in ſummitate plana & lata ſuperficie, inferiora verſus contractior, intus fungoſus, ad baſim ſuperiorem in ſuis cavernulis ſeu cellulis *ſemina* recondens, quæ oculis ex flavo nitentibus, gemmularum inſtar plano rotundarum, extra illam emicant; ipſa ſemina primo ſunt albicantia, ſubflava, formæ cylindriacæ, deinde ad ellypticam formam accedentia, & cellulas ſuas dilatantia, magis magiſque ex baſi ſuperiori ſtyli extuberantia, nigra, ſurda. *Radix* trita & ſaccharo mixta in formam conditi exhibetur pro hæmorroidibus. *Succus* è floribus extractus, & cum Oleo *Zirgelim* aſſumptus, inmodicum menſium ſiſtit fluxum.

TABULA 30.

Tamera hæc à nemine unquam eſt deſcripta. Mihi erit *Nymphææ affinis Malabarica, flore amplo, roſaceo albicante colore.*

Bem-támara lat.

വെന്താമര Mal.

وينطامرا arab.

BEM TAMARA.

TABULA XXXI.

PLanta itidem aquatica, in eo tantum à *Tamara* differens, quod *flores* ſint paulo ampliores, illorum petala candida, odoris nonnihil vegetioris. Poſt accurationem obſervationem ſequentia addenda duximus; ſcilicet quod folia *Tamara* & *Bem Tamara* duorum in diametro ſint pedum; caules fiſtuloſi, proxime ad radicem aquei, in partibus ſuperioribus intus lactei, filamenta ex illis albicantia, tenuiſſima, numeroſa, velut aranearum telæ, ex lacteo iſto ſucco nendo educantur & in longum protrahantur, ſatis firmæ. Ex caulibus folioſis tantum quatuor, tubulis majoribus, pervii ſint, numeroſis minoribus tubulis ad latera inſtructi; Caules hi proxime ad umbilicum ceu centrum deciſi; coſtæ ſingulæ, quæ ex umbilico viginti & una numerantur, & tubulis caulium lateralibus reſpondent, tubulacea cavitate pervii ſunt; ſed in medio umbilici diſſecti, caules nempe, crux carnoſa apparet, cujus una pars ſuperior verſus partem folii contractior eſt. Præterea ſeptem caules floriferos, etiam latis tubulis eſſe pervios, & in illorum medio *ſtylum*, ex quo tubulorum interſepimenta exſurgunt, atque & ille unico tubulo in medio pervius eſt. *Bulbus* cum *butyro* in unguentum redactus omnia oculorum vitia corrigit; Idem cum *Zingibere* & *Coriandro* in *butyro* contritus, pro hæmorrhoidibus applicatur.

TABULA 31.

A me vocatur *Nymphæa affinis Malabarica, folio & flore amplo, colore candido.*

Pistia crispata Bl.

Kodda-pail lat.

കൊടപ്പായൽ Mal.

Zeló

सेकाो bram.

فُحا آصحا بغْتيلْ Arab.

KODDA PAIL.

TABULA XXXII.

PLantula aquatilis & natatilis, transverſis, aqueis & albicantibus repens caulibus, qui oblongas, albicantes, capillatas, in denſa faſcia, emittunt fibras. *Folia* plura congregata ad radicularum faſcias exſurgunt, oblonga, ad latera rectis oris, in vertice ora rotunda, criſpata, una cum caulibus admodum fragilia; viroris hiali, inferius albicantia, anterius, nervulis oblongis ramoſis ſtriata, exterius plicis eminentibus in longum criſpata, tenuiter villoſa, inferius ad radicem piloſa lanugine veſtita, carnoſa, craſſiola, tubulis parvis, rotundis, intus pertexta. *Flores*, odoris expertes, ex mediis prodeunt foliis, quorum petala tenera, criſpata; unum illorum oblongum eſt & albicans, interius cochlæato cavum, anterius ſtrictius, in medio ſuperioris partis fiſſum, utrinque in oris ad latus plica annulari, interius eminente criſpatum, ex cujus medio, ſupra plicaturam, parvus & erectus exſurgit *ſtilulus*, qui ſuperne in orbem, ſex albicantibus eſt dotatus *gemmulis*, ad exortum viridiuſculo foliolo rotundo, quod inferius duabus laciniis veluti auriculis, eſt inſtructum, quaſi collari ſuccinctus. *Collum* florum oblongum eſt, pilis oblongis albicantibus capillatum; ex ejus orificio *gemma* emicat cuſpidata, albicans, viridi diluta, *nodulo* aqueo albicante dotata, in qua ſemina viſuntur. *Gemmæ ſeminales* oblongorotundæ evadunt, in cortice, vitri inſtar pellucidæ, petiolis transverſim inſidentes; uno latere, quo cælo obverſæ, marceſcenti, florum petalo transverſim adhærentes, intus aqueo humore repletæ. *Semina* in illis ſex oblonga, viridiuſcula, cortici gemmæ, circa illam partem, qua petalo adhærent, interius inſidentia. *Folia* cum *Oryza* in lacteo *Nucis Indicæ* ſucco lævigata medicamentum præſtant antidyſenteri-

tericum. Cum aqua *roſacea* & *ſaccharo* data, tuſſim graviorem & purulenta phlegmata corrigunt, hæmopſiam inhibent. *Radix* cum *cumino* in *lacte* vaccino trita & epota alvum promovet, teneſmum lenit, lumborum & hypogaſtrii dolores emollit. Idem præſtat ſi cum *Calamo Aromatico* & *aqua* calida aſſumatur.

TABULA 32.

Planta hæc aquæ innatat perinde ac *Stratiotes* ſeu *Aloës Paluſtr. Bauh. in Pinac.* à nemine unquam eſt deſcripta neque conſpeciem habet cui aſſimilari poſſit. Vocari poſſet *Sedum Indicum paluſtre, foliis latiſſimis, criſpis,* floribus albicantibus piloſis.

Trapa bispinosa.



PANOVER TSJERAUA.

TABULA XXXIII.

PLanta eſt aquatica. *Caules* geniculati, ſuper fundum repentes, aquei, viridi albicantes, ex geniculis radiculas ſeu fibras duas pluresve emittentes, filamentis viridibus condensè veſtitas. *Folia* in caulibus petiolis oblongis, aqueo albicantibus, ſuperius ventre plano turgeſcentibus ac piloſis, proveniunt lata, cuſpidata, ad oras acutis, profundis crenis inciſa, poſteriori parte ad petiolum recta & æquali ora, craſſa, ſpiſſa, in interiori ſuperficie valde plana, admodum glabra, in exteriori *coſtis* craſſis, viridi albicantibus, ramoſis, è *Coſta* media exeuntibus, & in venarum cuſpides incurrentibus obſita, coloris ſanguinei, nullius ſaporis. Vetuſtior facta planta, ex vertice caulium in communi pede, folia numeroſa ac ampliora, denſe in unam quaſi faſciam, roſæ referentes formam, congregata proveniunt, pluribus radicibus infra dictam faſciam interius dimiſſis. Extra uſum in Medicina eſt.

TAB. 33.

Cum non plenarie hæc planta ſit deſcripta; de flore enim & ſeminibus nulla mentio, nihil certi hic apponi poterat, niſi quod pro *Hedera paluſtri* poſſit haberi.

Phrynium capitatum (Pontederia ovata L.)

Narú kilá lat.

നറുകില Mal.

Poló

पोळो bram.

نعرو قجيلا Arab.

NARU KILA.

TABULA XXXIV.

PLanta naſcens in aquoſis. *Radix* nigricans, fibris veſtita. *Caules* rotundi; aliquantulum complanati, glabri, virides, interiori ſuperficie cavi, intra cavitatem teneres excipientes caules, ſuperiori parte unico nodulo interſtincti, fungoſa intus, albicante, aquea medulla. *Folia* verticibus caulium inſident, in ſingulis, unum, ampla, oblongorotunda, cuſpidata, venis ſubtiliſſimis paralellis, ex *coſta* media, quæ in recta parte eminet, ad oras ſtriata, viroris ſaturi & nitentis, in adverſa, diluti, ſurdi, foliis *Kattu bala* quam maxime ſimilia ſunt, ſed minora. *Flores* in caulibus propriis ſuis petiolis proveniunt, in illorum vertice quaſi faſcia inſidentes, ex hiatu aperto caulis, qui circa geniculum videtur ſuperiorem, & intra quem prius incluſi fuerant, tanquam vaginam ſeu theculam infra folia emittentes, prodeuntes ex calycibus oblongis, grandiuſculis, viridibus ac rubeſcentibus. Ignoti uſus.

TABULA 34.

Et hæc deſcriptio imperfecta eſt, ita ut ex illa nihil concludi poſſit, atque ideo lubens accuratius judicium aliis relinquo; ego dicerem. *Cannæ* ſeu *Arundinis Indicæ affinis*, flore globoſo.

Geodorum dilatatum

Béla-póla lat.

വെളപോള *Mal.*

[illegible] *Arab.*

BELA POLA.

TABULA XXXV.

PLanta itidem aquatica. *Radix* bulboſa, (bulbi rotundi ſunt, primum albicantes, ex inde virides, intus carnoſi, carne ſucculenta & nonnihil viſcida, albicante, viridi, ipſi bulbi ſe mutuo propagantes, ita ut tres quatuorve ſimul juncti conſpiciantur) fibras oblongas, craſſiuſculas, plurimis filamentis tenuioribus veſtitas, primum albicantes, dein ruffeſcentes emittens. *Caules* ex radice exſurgentes rotundi, ſimplices, foliis veſtiti, interius albicantes, ſucculenti & viſcidi. *Folia* quæ caules inveſtiunt, ac ſupra ſe mutuo pedibus cavis circumvoluta, oblongo anguſta ſunt, in cuſpidem ſtricta, cubitum longa, quatuor transverſos digitos, ſed in medio plures, lata, venis ſubtilioribus in longum ſtriata, lateribus verſus inferiora parum clauſis, viroris in utraque parte ſaturi. *Coſta* in adverſa parte eminet craſſiola, viridi albicans, à latere duæ tresve minores conſpiciuntur, rectam partem quaſi ſulcis ſtriantes, odore gravi, ſapore nonnihil porraceo; exteriora folia quæ caulem circa radicem inveſtiunt, minora ſunt & albicant. *Flores* in ſummitate caulium faſciati proveniunt, pedunculis viridibus, nitentibus, ſurrectis, ſtriatis craſſis, in ſuperiori parte magis exturgeſcentibus, ac leviter incurvatis, oblongo, anguſto, viridi folio, inferius ſuccinctis; hexta petali ſunt, illorum quinque oblongo anguſta, uniformia, in totum candida; ſed tria exteriora magis anguſta, exterius nitentia, minus candida; ſextum latius eſt & cochleato cavum, oblongum, ad ventrem petioli ſitum, folio exteriori medio, quod ex dorſo prodit, oppoſitum, exterius in totum candidum, anteriori ora albicans, infra oram in medio, duabus oblongis, latis, flaviuſculis ſtriis ſignatum, ad ſtrias roſaceo rubeſcens, inferius ex medio venis, tenuiter rubeſcentibus, oblique verſus oram ſtriatum. Ex inferiori orificio *lingula* exſurgit, oblique ſur-

recta, candida, craſſiola, aliquantulum cuſpidata, cujus plana pars, petalo cochleato cavo eſt obverſa, infra cuſpidem *gemmula* craſſa, flaviuſcula dotata. *Flores* in totum male olent, ſaponis odorem æmulantes. *Gemmæ* florum virides, dein albeſcentes, ad partem petali cochleato cavi alte exturgentes. *Fructus* oblongi, trigoni, in medio laterum craſſa ac altum eminente coſta obducti, *cortice* craſſo, aqueo, viridi ſaturo, nitente, ſaporis fabacei, ſylveſtris ac viſcidi, in medio farinaceo, ruffo pulvere repleti; animadvertendum porro quod florum petala ipſa germina ac primordia ſint fructuum; qui illis *Marabára* admodum ſimiles ſunt. *Bulbus* cum aqua *Oryzæ* in linimentum præparatur adverſus phlegmonodes, tumores & abſceſſus.

TABULA 35.

Mihi hæc planta eſt *Gladiolus Indicus paluſtris latifolius, flore albicante.*

Éla-póla lat.

Mal.

Arab.

ELA POLA.

TABULA XXXVI.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* bulboſa, inferius fibris candidis veſtita, intus carne denſa, humida, viſcida, durioribus carnoſis fibris pertexta, odore gravi. *Folia* plura ex radice pedibus oblongis, rotundis, theciformibus, in quibus alia teneriora includuntur, exſurgunt oblonga, in cuſpidem ſtricta, nitentia, intus venis ſubtilibus in longum ſtriata, in adverſa parte quinque *coſtulis* lignoſis eminentibus inſtructa, quarum media craſſior, omnes glabræ ſunt, rectam partem ſtriantes, odoris gravis. *Flores* in caulibus proveniunt ſimplicibus rotundis, glabris, viridibus, geniculatis, è radice exſurgentibus petiolis, foliis oblongoanguſtis, cuſpidatis, circa geniculos veſtitis, intus carnoſis, fibris denſis, lignoſis, intra carnem humidam pertextis; flores ipſi ſuperiori parte caulium illic loci ubi minus lignoſi, inſident, ad exortum foliolo parvo, oblongo anguſto, cuſpidato, viridi, inferius ſuccincti, oblongi, cyathi ſeu campaniformes, exterius tribus eminentibus ſuturis in longitudine perducti; interius ab orificio ad medium uſque cæruleſcentes, exterius albicantes. *Stylus* in medio eminet nigricans, extra orificium *nodulo* flavo dotatus. *Fructus* qui cacumini caulium omni ex parte inſident, oblongi, triangulati, quorum latera, plana, ſupra & infra ſtrictiores, viridi fuſci, glabri, in medio laterum ſutura craſſa, rotunda, viridi, alte extuberante obducti, in vertice *umbilico* eminente ruffo inſtructi; membrana qua ruducuntur carnoſa eſt & craſſa, interiori parte viridi flava; nullis ſeminibus, ſed intus *glomulis* lanuginoſis, albicantibus, qui deinde ruffeſcunt, maxime ad angulos repleti; etiam florum petala in fructus excreſcunt. Ex *foliis*, *radice* & virente *Curcuma* linimentum præparatur temporibus pro Cephalæa applicandum.

TABULA 36.

Specialis hæc planta eſt, externa facies cum *Gladiolo* conferri poſſet, ſed flos aliquam cum illo *Digitalis* videtur habere convenientiem; ego dicerem *Gladioli affinis latifolia*, flore campanulato.

BELAM CANDA SCHULARMANI.

TABULA XXXVII.

BRamannes dicunt *Arty*, planta eſt ad altitudinem hominis aſſurgens, arenoſo gaudens ſolo. *Radix* glanduloſa, craſſa, albicans, intus denſa, ſubflava, ſubamara, longas albicantes & tenuiter capillatas ejiciens fibras, tres quatuorve oculos ex ſe promens. *Caulis* è radice aſſurgit unicus, pollicem craſſus, nodulatus, intus albicans & fungoſus, foliis ad nodulos circumveſtitus. *Folia* oblongoangusta, tres pedes longa, pollicem, aliquando duos, lata, acinacea, venis in longum ſtriata, ex una parte oræ, quæ inferius eſt profundior, hiantia, caulem excipientia, & labris arctiſſime circumplectentia, viroris exterius communis & nitentis, interiori parte, ubi hiant, membrana albicante obducta. *Flores* in faſtigio ipſius caulis, vel cauliculorum transverſorum, qui ex caulis nodis hinc inde exſurgunt, petiolis teneris, viridiflaveſcentibus, pandis, ex uno eodemque nodulo plures, quatuor, quinque congregatim erumpunt, hextapetali, oblongo rotundi, ad petiolum ſtricti, anteriora verſus, rotunda ora in cuſpidem contracti, inter flavum colorem notis intenſe rubris interius variegati; tria petala, quæ breviora & minus lata, tota ſuperficie interius ſunt variegata; reliqua tria, quæ paulo longiora & latiora, & prioribus ſingulis interpoſita, ex unguiculis ad medium uſque variegantur, anterius colore rubro dilutiori; in adverſa parte petala flaveſcunt ad oras tantum rubris notis transparentibus, ac *coſta* eminente in medio ſtriata, nullius odoris. *Stamina* in illis rubicunda & ſurrecta conſpiciuntur tria, *lingulis* flavis, ſurrectis dotata; *ſtylus* craſſior eſt, rotundus, triangulatus; calyce deſtituuntur. *Petioli*, proxime ad flores, craſſiores ſunt & extuberantes, tribus lateribus planis, in medio ſtriatis, circumſcripti, *ſeminum capſulas* efficientes, quæ floribus deciduis ampliantur, &

ex viridi ſubflavo viridiores evadunt, & in tria ſeminalia loculamenta mediis diſtinguuntur interſepimentis. Planta integra cocta & pro lotione corporis adhibita antidotum eſt contra omne venenum. *Radix* trita & applicata morſui ſerpentis Cobra Capella dicti, medetur. *Folia* cum *Oleo Schirgelim* ab indigenis adhibetur, ad vaccas & jumenta, eduliis venenoſis infecta, vel animalibus venenatis læſa, tum intus, tum foras, ſumpta & applicata, curanda.

TABULA 37.

Flores hujus plantæ cum ſint variegati perinde ut *Flos Tigris Dodon.* alterius autem ſtructuræ, ſed quoad formam externam aliquo modo convenientes, & à nemine autem quod ſciam ante hæc ſit deſcripta planta, meo judicio vocari poſſet. *Gladioli affinis Malabarica, flore flavo, maculis rubris interſperſo.*

Pardanthus chinensis.

Béſam-cánda-ſchulármani lat:

വെലം കണ്ടച്ചുളാരമണി Mal.

بحهنشانْ فحارظْا عجبوْلاَرْ مَانيْ Arab.

आजती bram.



Crinum asiaticum

BELUTTA POLA TALY.

TABULA XXXVIII.

AQuatica eſt planta quæ circa fluviorum ripas invenitur. *Radix* craſſiola, bulboſa, carnoſa, aquea, ex tunicis quaſi ſuper ſe injectis formata, corculo flavo, fibras craſſiores oblongas ex inferiori parte emittens, illæ primum albicant, dein flaveſcunt, ſaporis aquei. *Folia* ex radice prodeunt, oblonga, gladiolorum inſtar, in cuſpidem deſinentia, inferiori parte mutuo theciformiter convoluta, interiori parte clauſa, craſſiuſcula, fungoſa, venis in longum ſtriata, viridifuſca, ad radicem albicantia. *Caulis* è radice exſurgens plano rotundus, viridi dilutus, ad radicem candens, fungoſus & aqueus, in cortice, ſi à carne deglubatur, interius inſtar holoſerici. *Flores*, odoris expertes, octo vel decem ſimul ex collo oblongo, viridi diluto, quo, exteriora verſus, nonnihil reflectuntur, in faſtigio caulium proveniunt, inferius ad exortum craſſo pede extuberantes; illorum ſex vel octo ordine exteriores ſunt, duo interiores conſiti, filamentis candidis inferius interſperſi, liliacei, pentapeli, anguſti, cuſpidati, candiſſimi, in medio & exterius tenuiter extuberantes, venis in longum ſtriati, exteriora verſus in totum reflexi. *Stamina* in illis quinque, oblongo rotunda, *apicibus* oblongis, nutantibus, transverſis, croceo rore adſperſis, ſub rore nigricantibus dotata, de cætero rubropurpurea, nitentia, inferiori parte candida, ſuperiori colli orificio, ad petalorum unguiculos inſerta. *Stylus* ſurrectus, oblongus, rubro purpureus & nitens, è medio florum emicat, inferius candidus, ex pede colli. Florum *gemmæ* oblongæ, ſtrictæ, conicæ, primum ex flavo albicantes, dein magis albeſcentes, exterius in medio, ubi extuberant, nonnihil rubeſcentes. Porro notandum quod flores, ſimul congregati primum folioſo involucro,

quod

quod in duo ſe findit cuſpidata folia, ſint incluſi, conſtituentes capitulum oblongum, craſſiolum; ſed rupto involucro, prodeunt, duobus foliis, quæ exterius viridia, interius candida, ad planum caulium latus inferius ſuccincti. *Fructus* illis *Pola Tali* ſimiles ſunt, eodemque modo ex pede colli florum excreſcunt; *ſemina* continent candida, carnoſa, ſucculenta. Ex planta conciſa & toſta bini fiunt noduli, qui utrique maxillæ appoſiti, ſpaſmum curant Cynicum.

Tab. 38.

Hæc *Lilio Narciſſus* conſpecies eſt *Tolabo Ceylanenſibus*, ſeu *Lilii Ceylanici umbelliferi & bulbiferi.* Vide *Herm. Cat. Hort. Acad. Lugd. Batav.* vel forſan ipſiſſima, hoc ſolum excepto diſcrimine, radicem hujus paulo minorem eſſe delineatam, quam quidem reipſa ſit.

Sjovanna-póla-táli lat.

[Malayalam] Mal.

[Arabic] Arab.

कालकादो bram.



SJOVANNA POLA TALI.

TABULA XXXIX.

Species eſt *Tali*, Bramannes dicunt *Gola Kondo*, planta trium pedum altitudine, arenoſa amans loca,etiam ripas aquarum. *Radix* bulboſa eſt & albicans, ſubtus plurimas,albas, fungoſas, humidas emittens fibras, ſaporis aquei & ſubamari. *Folia* gladiolorum, ſeu foliorum *Lilii* inſtar, ex ſe invicem prodeunt, ad radicem combinata, lata, craſſa, in marginem acutam extenuata, minutis ac raris cuſpidibus in oris minuta, venis in longum ſtriata, plurimis magnis fiſtulis ſeu tubulis (quæ ſimplici ordine ac ſerie ad ſe invicem ſunt conſitæ, ac mediis membranaceis parietibus ordinate intercluſæ;) intus in longitudine pervia. E medio foliorum *caulis* viridis, planus, compreſſus, intus albicans, fungoſus, fiſtuloſus, ex radice exſurgit, in cujus ſummitate *flores* plures ſimul, quinque vel ſex congregatim, ſinguli propriis, rotundiolis, viridiflavis petiolis, qui ex nodulo ſuperiori caulis erumpunt, proveniunt, monopetali, oblongo anguſti, cuſpidati, candidi, quatuor aut quinque ferme pollices longi, unum lati, in longum ſtriati, oris nonnihil interiora verſus, clauſi, odoris debilis ſed grati. *Stamina* in illis ſex, longiuſcula, maxima parte petalis inſerta, purpureo rubra, nitentia, inferiora verſus albicantia, *apicibus* grandiuſculis, lunulatis, nutantibus, flavo rore conſperſis, dotata; *ſtylus* cum hiſce conſpicitur tenuis, in totum purpureo ruber, qui per petiolum transmittitur, & ibi ex parte albicat. Deciduis floribus majorem petioli contrahunt virorem, & inferiori parte, quæ circa nodulum eſt & craſſior, in *capſulas ſeminales* extuberant & turgeſcunt, adeo ut plures ſeminales capſulæ congregatim nodulo caulis inſideant; ſuntque hæ, ad petioli figuram, primum oblongo rotundæ, craſſitie tantum à reliqua petioli parte differentes, deinde, cum adjuſtam pervenerint magnitu-

dinem, caule ſuperiori deciduo, rotundæ vel rotundo-planæ, cortice viridi diluto flaveſcente, venuliſque in longum ſtriato, cujus caro intus albicat & fungoſa eſt, tenuiter obductæ. *Semina* pro ratione magnitudinis in illis, tria, quinque, ſeptem continentur, totam capacitatem ſub cortice replentia, filamentis quibuſdam fungoſis, albicantibus, hincinde, tenuiter interſepta, variæ figuræ; uno latere, quæ cortici proximum, rotundo, aliis planis, coloris albicantis & ſubviridis; illorum caro albicat & aquea eſt, etiam ſapor aqueus eſt. Semel quotannis floret, tempore nempe pluvioſo. *Radix* bulboſa trita & toſta hæmorroidibus apponitur, conducitque apoſtematibus aperiendis & maturandis; eadem toſta & cani data, dentes illius excidere facit: *folia* toſta *carbunculis* applicata, dolorem ex illis obortum mitigant, ungues excarnaficatos ſanant.

TAB. 39.

Inter omnes *Lilio Narciſſos* hæc omnium maxima eſt, à neminè, quod ſciam, antehac unquam deſcripta.

Catúlli-póla lat.

കാട്ടുള്ളി mal.

فحطو للحب Arab.

कोळकादो bram.

CATULLI POLA.

TABULA XL.

PLanta ſeſquipedis altitudine, naſcens in arenoſis. *Radix* bulboſa eſt & candida ſubtus tenues & albicantes ejiciens fibras. *Folia* quæ ex radice oriuntur inſtar *Lilii* ſunt ſeu gladioli oblongi, in cuſpidem deſinentia, venulis in longum ſtriata, in medio craſſo tergo extuberantia, parum interius clauſa. Inter folia, ex radice, unicus exſurgit *caulis* compreſſus, viridis, ſpithamam longus, in apice nodulatus. *Flores* propriis cauliculis, in ſummitate caulis, plures congregati videntur, ſeptem vel octo, ex uno eodemque caulis nodulo ſimul exſurgentes; in totum candidi ſunt, odore debili ſed grato, optime conformati, duplici petalorum ordine conſtantes; in exteriori ſex petala ſunt oblonga, anguſta, ſurrecta, in cuſpidem deſinentia, venulis in longum ſtriata, *coſtula*, in adverſa parte parum eminente, inſtructa, ſtellam diceres ſexcuſpidalem; in interiori ordine ſtella eſt verſus umbilicum campaniformis, duodecim in oris cuſpidibus eminens, cui folia exteriora cum ima parte adſtringuntur. *Stamina* in illis ſex candida, campaniformem ex umbilico ſtellam interius ſtriantia; ſingulaque in intermedios cuſpidum angulos eo ordine incurrunt, ut duos inter ſe relinquant cuſpides, ſed ſuperiori parte ex angulis eminent, flavis & incumbentibus *apicibus* ornata. Florum *gemmæ* oblongo rotundæ, ex viridi magis magiſque albeſcentes, ſtriis numero ſex, quæ in vertice cöeunt, ſtriatæ. *Fructus* eodem modo ut illi *Pola Tali* proveniunt. Etiam *ſemina* albicant, quorum caro albicat & aquea eſt, ſapor etiam aqueus. Semel quotannis floret, tempore nempe pluvioſo. *Radix* in ſole exſiccata & in pulverem redacta cum *ſaccharo* nigro exhibetur pro hæmorrhoidibus; ejus decoctum ex aqua idem præſtat, pro lotione nempe adhibita. Toſta & dein trita apoſtematibus aperiendis & maturandis ſuper imponitur; addito *oleo* podagrici cum illo perunguntur: *folia* unguibus circumdata, illorum dolores ſedant.

TABULA 40.

Narciſſus eſt *Ceylanicus*, *flore albo hexagono odorato Hermanni in Catalog. Hort. Academ. Lugd. Batav.*

Katsjula-kelengu lat.

[illegible] mal.

Capura-catari

[illegible] bram.

[illegible] arab.

KATSJULA KELENGU.

TABULA XLI.

BRamannes dicunt *Capura Catari* planta naſcens in arenoſis. *Radix* carnoſa, albicans, fibras emittens, & novellis ſe propagans oculis, odoris fragrantis & aromatici, maxime cum ſicca, *Zinziberis* inſtar, albicante ſicca carne, cortice ruffo, rugoſo. Duo ex radice *folia*, pedunculis ſurrectis, latis & cavis exſurgunt, in transverſum extenſa, ex adverſo ſita, ampla, rotundiola, inferius ſinulo cavo, anguſto exciſa, craſſa, carnoſa, glabra, venis ſubtilibus annularibus, quæ folium intus obſcuro tractu ſubeunt, ex media *vena* ſtriata, viroris in ſuperiori parte ſaturi & fuſci, in inferiori, quæ radici obverſa, viridi clari, in oris limbulo rubeſcente inſtructa, odoris grati aromatici. *Flores* ex radice inter folia media ſurrecti exſurgunt, oblongo petiolo ceu collo, tripetali, duo illorum oblongo rotunda & candida, tam interius quam exterius: tertium hiſce oppoſitum, anterius in medio, in duo alia quaſi petala eſt diviſum, interius candidum, in medio & ima parte ad pedem purpureo rubrum, exterius candidum, in pede interiore dilute flaveſcens & virideſcens, ſuntque in totum tribus oblongoanguſtis candidis foliolis ſeu auriculis ſuccincti. Ex florum medio *ſtylus* exſurgit latus, foliaceus, candidus, ad pedem petali purpurei flaveſcentem accumbens, ſuperne in duas ungulas fiſſus, quæ à petalo purpureo ſunt reflexæ. In medio flavus eſt, intus anguſta theciformi cavitate, per quam alius, ſe transmittit *ſtylus* candidus, tenuiſſimus, *gemmula* nodulatus: flores in totum illis *Tsjengeli-nel-Kelengu* non diſſimiles ſunt. Inſuper obſervavimus, quod loco floris emarcidi ac decidui, una nocte flos novellus cum petiolo ferme pollicari è radice exſiliat, ocyus ergo naſcuntur. *Radix* ſiccata in transverſas inciditur lamellas, & divenditur. *Bulbus* cum recenti *butyro* in pillulas redactus, aſthmaticis datur.

TABULA 41.

Parem non habet hæc planta; mihi eſt: *Planta biſoliata, radice tuberoſa, flore tripetalo difformi Malabarienſis.*

Sanseviera zeylanica.

Kátú-kapél Lat.

കാട്ടുകപ്പൽ Mal.

كَاطُو كَابِهلْ Arab.

KATU KAPEL ſeu *CADENACO.*

TABULA XLII.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa, carne intus albicante, filamentis lignoſis pertexta, cortice ruffo, ſaporis aquei. *Folia* ex radice oblonga ad duos exſurgunt cubitos, inferius foliis minoribus inveſtita, exterius convexa, interius cava, viridia, rigida, venis lanuginoſis in longum ſtriata, valde craſſa & carnoſa, carne intus denſa, albicante, aquea. *Flores* in propriis proveniunt caulibus, qui ex radice oriuntur rotundis ac petalis inveſtiuntur oblongis, tenuibus, extus aqueo rubeſcentibus, intus aqueo viridibus, illorum ſuperiori parte undique inſidentes, bini vel terni ſimul in uno communi pedunculo, hextapetali, oblongo rotundi, anguſti, nitentes, in medio vena ſtriati, collum oblongiuſculum eſt & candidum. *Stamina* in illis ſex, oblonga, candida, oblongis, flavis, nutantibus *apicibus* dotata. *Stylus* etiam oblongus eſt & candidus, ex *globulo* prodiens albicante, inferius in collo ſito. *Fructus* rotundi ſunt, ſimplices, vel etiam bini juncti, viridi diluti, quorum duo latera globoſa; in quibus unum aut duo reconduntur *ſemina*, quæ tenera, ſaporis fabacei. *Folia* trita & in formam boli redacta, adverſus ophtalmiam & oculorum ſuffuſionem aſſumuntur: cum *radice* addito *Allio* ac *Auripigmento* in oleo *Sergelim* decocta, gonorrhæam ſanant, ſi nempe caput cum oleo illo illinatur; *Bulbus* cum *ſandalo* citrino & *butyro* bubulino tritus linimentum exhibet, in nervorum contractionibus & ardoribus adhibendum. Tota denique planta *oleo butyro*que incocta omnium oculorum vitia emendat.

TAB. 42.

Appellari poſſet hæc planta, *Aſphodeli Indicæ affinis*, floribus hextapetalis, ſpicatis.

Canna indica.

KATU BALA.

TABULA XLIII.

BRamannes dicunt *Rana Queri*, planta eſt ad altitudinem ſtaturæ exſurgens humanæ, arenoſo & udo gaudens ſolo. *Radix* oblonga, rotunda, corticibus inveſtita, pilis in orbem circumdata, oculata, ex quibus denuo propagatur. *Caulis* ſimplici pede ex radice exoriens, rotundus eſt, viridis, geniculatus, ad geniculos foliis arcte veſtitus & obvelatus, ex inferioribus geniculis ad radicem, ſupra foliorum exortum, novos caules emittens. *Folia* quibus caules inveſtiuntur, tenera adhuc, in totum in ſe invicem ſunt convoluta, oblongo rotunda, lata, mollia, plana, lenia, glabra, venis paralellis ex *coſta* media craſſiori, quæ in adverſa parte altum eminet, ſtriata, in totum foliis *Bala* vel *Figueira* ſimilia, qua de cauſa à Luſitanis *Figueira de Mato* vocatur; viroris in recta parte fuſcioris & nitentis, in adverſa dilutioris, ex ſe invicem prodeuntia, ac parte ſuperiori, qua caulem deſerunt, patente orificio convoluta, quæ in ſummitate ſunt caulem arctius amplectuntur & nonnihil rubeſcunt. *Flores* ſimul proveniunt cum *fructibus* in cacumine caulium, ubi in tres acutos ſtringuntur angulos, fuſce rubeſcentes, vertici fructus inſidentes, illi viridi dilutis, ſemiuncialibus, angulatis & duriolis petiolis, ex caulium angulis, bini & bini, alternato ordine erumpunt, ac ſinguli folio follicoſo, quo primum cum ſuo flore obteguntur, ad exortum petiolorum ſuccinguntur. Ipſi flores octopetali ſunt, oblongi, difformes, coloris coccini vel venuſte miniati, inferius ad unguiculos flavi, petalorum unum

majus, oblongius, latius ac leniſſimum eſt, inſtar *Veluti*; duo latiuſcula ſunt; unum notis rubris in flavo colore variegatum; unum in ora oblongo, ruffo eminens apice ſeu ſtaminula; omnia conſtricta ſunt & non expanſa, & hoc, ob arctum calycis orificium quo excipiuntur. *Calyx* è tribus conſtat foliis oblongis, cuſpidatis, rigidiuſculis, conſtrictis, ſurrectis, quæ rubro fuſciora ſunt & magis nitentia, intus venulis, verſus cuſpidem, ſtriata. In florum medio *Stylus* videtur planus, latus, ſubflavus, nitens, ſuperiori parte parum rubicundus. *Gemmæ* florum oblongo rotundæ, in cuſpidem deſinentes. *Calyx*, quo flores includuntur, rubro fuſcus. *Fructus* ipſi capitula ſunt oblongorotundiola, ſuturis interſtincta, gemmulis ſpiculiformibus, rigidiuſculis, transparentibus, undequaque bullatim exaſperata, in totum viridia, in cuſpidibus gemmarum rubeſcentia, cum ſicca ſunt nigricantia; ſpiculo, ubi flores decidere minuta. *Semina* intra ſingula fructuum latera, in totidem diſtinctis capſulis, ſita ſunt, quæ interius membrana à ſe mutuo interſtinguuntur, in ſingulis capſulis tria vel quatuor, nullis unguiculis adhærentia, ſed craſſiola albicante lanugine involuta, formâ exacte rotunda, *piſi* magnitudinis, primum albicantia, deinde rufa ſeu ſubrubra, punctis nigricantibus interſperſa, ſaporis parum adſtringentis. E *fructubus* parum toſtis ſuccus elicitur, qui auribus immiſſus dolores illarum mitigat. Ex iiſdem & *ſaccharo* maſſa componitur, & umbilicali regioni applicatur contra *diabetem*, ex calidis febribus ortam. *Succus radicis* Mercurii ſublimati toxicum infringit.

TAB.

Tab. 43.

Parte prima hujus operis deſcripta eſt *Muſa Serapionis* ſub nomine *Bala*, & hoc, meo judicio, quia iſtius folia, cum hujus aliquam habent ſimilitudinem. Hæc *Katu Bala* vocatur, quaſi diceres *Bala Sylveſtris*, & eſt *Arundo Indica latifolia*, *Bauh. in Pinac.* communi nomine *Canna Indica* dicta, vel *Longoas Stapel. in Theophraſt.* Diverſæ hujus ſpecies in hortis Hollandiæ excoluntur, ut ſunt.

Arundo Indica latiſſimo folio, flore rutilo. Cat. Hort. Reg. Pariſ.

Arundo Indica latifolia. Bauh. Pin.

Arundo Indica Americana, flore fulgente, cocco, ſplendente. Cat. Hort. Med. Amſtelod.

Arundo Indica latifolia, flore luteo, punctato. Bauh. Pin.

Arundo Indica anguſtifolia, flore flavo. Cat. Hort. Med. Amſt.

Albara. Piſon.

Pontederia vaginalis

Carím-góla lat.

കരിങ്കൂള Mal.

كارينغولا Arab.

नीलोतपल bram.

CARIM GOLA.

TABULA XLIV.

PLanta eſt aquatica ad altitudinem exſurgens cubiti. *Radices* fiſtuloſæ, albicantes & rubeſcentes, fibris veſtitæ, illæ primum albæ, dein croceæ, pluribus capillis flavis in circum quaſi implexæ. *Caules* plures uniti & combinati exſurgunt, rotundi, circa interiorem partem nonnihil plani, fungoſi, valde fiſtuloſi, hinc inde in folliculos, à quibus novi prodeunt caules, extenuati. *Folia* quæ ſingula, unum numero, in ſummitate caulium proveniunt, forma ſunt cordis oblongi, inferius latiora & ſuperiora verſus, oris parum rotundis, in cuſpidem acutum deſinentia, ſuperficie lenia, textura condenſa, craſſa, mollia, venulis denſis, quæ omnes in petiolo excurrunt & in cuſpidem intrant, ſtriata, *nervulo* in adverſa parte parum eminente inſtructa, viroris in una parte fuſci, in alia communis, ſaporis ſubaſtringentis. *Flores* ex caulium ſuperiori folliculo, infra folia, cum cauliculo fiſtuloſo erumpunt, cauliculi petiolis congregatim inſidentes, nullius plane odoris; hextapetali ſunt, petala ipſa oblongo rotunda, ſurrecta, tenuia, membranacea, coloris in totum cærulei, coruſci & ſcintillantis, papilionum alarum inſtar, maxime ſi in ſole conſpiciantur; in parte exteriori *coſta* viridi per medium ſtriantur: tria ex illis latiora ſunt, tria anguſtiora, inter ſingula latiora interpoſita. Sex in illis videntur *ſtamina* cærulea, *apicibus* ſurrectis, ſtriatis, ac flavis, dotata; illorum unum cæruleopallidius & latius eſt, *lingulam* habens cæruleo viridem, quæ cæteris eſt longior, latior ac eminentior, ſub lingula laciniam folioli inſtar anguſti. Inter illa è *globulo* viridi vel ſubflavo, qui in orificio florum hæret, prodit *ſtylus* cæruleo albicans, ſtaminibus craſſior, in vertice

gemmula albicante ornatus. Florum *Gemmæ* oblongæ, quinque vel ſex coſtulis eminentibus ſtriatæ, nonnihil intortæ, vel, ſi mavis, criſpatæ; illarum folia primum pellucida ſunt, ac clara, veluti alæ papilionum, nullo cæruleo colore tincta; tractus in illis videntur ſubtiles venularum, quæ in plures ſe ſpargunt ramulos, & hinc inde ex *coſta* media oriuntur, ſed illæ, in foliis cæruleis & ſcintillantibus, viſum fugiunt. *Capſulæ* ſeminales trilateræ, oblongorotundiolæ, tribus in longum ſtriis radiatæ, à foliis, tum coſtulis valde craſſis & extuberantibus, ac præ ſiccitate contractis & rufofuſcis, inſtructis, in totum comprehenſæ. Numeroſa in illis continentur *ſemina*, in tres ſeries diſpoſita, per membranam interiorem tenuem, quæ ex medio fructus, ad intervalla, inter ſtrias intermedia excurrit, ac corticis exterioris ſtriis arctius adſtricta eſt, diſtincta, formâ rotundiola, parum oblonga & albicantia, matura colorem ſeminis referunt *Naſturtii.* Tota planta contrita & in lacte data, febri medetur colericæ. Oculorum affectus tolluntur, ſi caput cum illius decocto ungatur & *oleo.* *Radix* cocta cum *ſaccharo* aſſumta, vitia hepatis corrigit, flatus diſſipat; trita in *butyro* & *oleo* & ſic epota inflammationem ſeu rubedinem oculorum tollit. *Cortex* radicis in pulverem redactus cum *Zaccharo* ſumtus antiaſthmaticum eſt; idem maſticatus & in ore detentus odontolgiam ſedat & abigit.

TAB. 44.

Secundum deſcriptionem clariſſimi noſtri Authoris pertinet hæc planta inter illas quæ ſunt *flore hexapetalo*, *tricapſulares*, *radice fibroſa*. Sed delineator florem tantum depixit pentapetalum, cum tamen ſecundum deſcriptionem hexapetalus ſit.

Culi-támara lat.
குளிதாமர mal.
قحوصحن تامحهراء Arab.
आळ्ड bram.

CULI TAMARA.

TABULA XLV.

Tertia ſpecies *Tamara.* *Radices* quibus fundo adhæret, fibræ ſunt capillatæ, in unam quaſi faſciam conjunctæ, albicantes; adultiores tunica flava obductæ, annularibus ſeſe ſtriis corrugantes. *Caules* craſſi, fiſtuloſi, admodum leves, ad radicem craſſiores, ſuperiora verſus in anguſtum contracti, angulati, intus aliquo modo lactei. *Folia* ſingula ex ſummitate caulium protenduntur, è caule, verſus poſticam partem, duabus laciniis tanquam alis (quæ ſingulæ in cuſpidem ſeſe ſtringunt) longe excurrunt, ac verſus anteriora, rotundis oris, in obtuſum ſeſe contrahunt cuſpidem; lata ſunt, & interiora verſus ſe nonnihil claudentia, ejuſdem in utraque parte viroris, ſpinis minutis obſita, maxime in adverſa parte, ubi etiam aſpera, fractu facilia. *Coſtæ* ex caule tredecim plus minus excurrunt, quarum aliæ verſus poſticam partem, in laciniarum ſeu alarum deferuntur cuſpides; aliæ, cum *coſta* intermedia craſſiori, verſus obtuſum folii cuſpidem, hinc inde nervulos emittentes transverſos; omnes in utraque parte eminent, maxime in adverſa, nervulis transverſis exceptis, illi enim in adverſa tantum eminent, in recta conſpicui. *Flores* in propriis geniculatis proveniunt caulibus (illi minutiſſimis ſunt obſiti pilis ac valde aſperi; ex inferiori geniculo, ubi tribus foliis cinguntur parvis, oblongis, cuſpidatis, & ut folia *graminum* in longum ſtriatis, tres aut quatuor emittunt cauliculos geniculatos) prorumpuntque è ſingulis caulium geniculis, plures ſimul, tenuibus, rigidiuſculis ac nonnihil ſurrectis petiolis; parvi ſunt, tripetali, illa latorotunda ſunt, interiora verſus cochleata, candida, parum ſcintillantia, à ſe mutuo nonnihil diſtantia; unguiculis ſuis tenuoribus, *nodulo* ſeu *capitulo* viridi, gemmu-

mulis interſtincto, è petiolo extuberanti, circumpoſita; è quo *ſtamina* egrediuntur plura, brevia, tenuia, albicantia, oblique ſurrecta, ex inferiori parte ſex flavis *apicibus* dotata; ipſa florum petala tribus viridibus ſuccinguntur foliolis. *Capitulum* in gemmas extuberat majores, rotundas, valde nitentes & transparentes, aſperas, acuta prominente ſutura, in medio ſtriatas; in hiſce, quæ aqueæ ſunt, interſepimentum eſt viride & craſſum, utrinque ad latera cavernulam relinquens, in qua duo albicantia reconduntur *ſemina*. Ignoti uſus eſt hæc planta apud Indos.

TABULA 45.

Quamvis Auctor noſter dicat hanc tertiam *Tamara* eſſe ſpeciem, quarum duæ priores *Tab.* 30 & 31 deſcriptæ, & conſpecies ſint *Nymphææ*; nihilominus tantum referri debet ad *Sagittam Latifoliam* B. P. hoc enim ex omnibus apparet circumſtantiis; atque ideo à me vocatur *Sagitta Indica major, folio obtuſo, floribus minoribus albicantibus.*


Ottelia alismoides Pers.
Óttel-ámbel Lat.
ഒട്ടെലാമ്പൽ Mal.
Arab.
bram.

OTTEL AMBEL.

TABULA XLVI.

QUarta ſpecies *Ambel*; Bramannes dicunt *Odeca-aloèn* à prioribus quam maximè differens. *Radix* rotundi inſtar nodi eſt, cujus *cortex* flavus, plurimas tenues flavaſque emittens fibras, etiam ad ulteriorem propagationem, novam proferens radicem. *Caules* è radice exeuntes, ſimplices ſunt, teneri, fiſtuloſi, ſed craſſiores & angulati, viridi diluti, albicantes. *Folia*, ut illa priorum ſpecierum, caulibus non inſident, ſed ſingula ex ſuo rectà protenduntur caule, neque etiam aquis innatant vel incumbunt, ſed oris, inferiora verſus, convolutis & ad ſe invicem contractis, tum ſub aquis, tum extra aquas emicant; maxime in latitudinem extenſa, rotundis ad caulem oris, anterius in cuſpidem ſtrictis, valde rigida, fractu facilia, in lacinulas hinc inde inſinuata, glabra. Cum *nervo* intermedio venulæ majores, ex ipſo caule, utrinque tres quatuorve paſſim, obliquo & arcuato exeunt ductu, quo, à margine deflectentes, in cuſpidem deferuntur, in adverſa eminentes, rectam ſtriantes. *Flores* caulibus inſident propriis quadrangulatis, in ſingulis unus numero; qui caules, parte ſuperiori, proxime ad flores alati ſunt, ſtricti nempe quinque alis majoribus, latis, rigidis, foliorum inſtar, ac minoribus intermediis. Ipſi flores candidi ſunt, difformes, tripetali, lenes, criſpati, venulis in longum ſtriati. *Stamina* flava ſunt; inter illa *capitulum* ſeſe prodit cuſpidatum; inferius tribus ſuccinguntur foliis viridibus, anguſtis, ſurrectis, cuſpidatis, quæ ubique viridi fuſcis ſunt obducta nervis. *Capſulæ* ſeminales rotundæ, oblongæ, cuſpidatæ; *ſemina* in illis reperiuntur numeroſa, rotunda, minuſcula, coloris, ubi matura ſunt, rubeſcentis. Hæc ut & illa reliquarum ſpecierum in eduliis adhibentur.

TAB. 46.

Cæteræ plantæ cognomen *Ambel* gerentes, paulo ante Tab. 26, 27, 28 & 29 deſcriptæ, cum hac ne minimam quidem habent convenientiam, priores enim omnes conſpecies ſunt *Nymphææ minoris*, ut ſuo loco notatum. Hæc mihi eſt *Sagittæ affinis Malabarienſis, latiſſimo folio, floribus ex albo trifoliatis.*

Aeginetia indica

Tsjem-cúmúlú lat.

ചെംകുമുളു Mal.

وَهِنْغْ قُحُوْمُوْلُوْ Arab.



TSJEM CUMULU.

TABULA XLVII.

ARenoſo hæc planta gaudet ſolo, longe excurrens. *Radix* albicans eſt & fibroſa. *Caules* è radice plures exſurgunt ſimplices, rotundi, rigidiuſculi, lignoſi, aquei, ex albo flaveſcentes, venis tribus ſtriati. *Foliis* deſtituitur. *Flores*, difformes, cacumini caulium, qui ſuperne paulo craſſiores, ad unam partem nonnihil inflexi, inſident transverſi, bipetali; unum illorum rubro ſanguineum & purpuraſcens, interius in orificio, unctuoſo liquore delibutum; alterum, (exterius nempe) cuſpidatum eſt, incurvo dorſo, lateribus clauſis, coralline rubeſcens, inferius ex ventre emicantem proferens campanam; illa ventre nonnihil eſt plano, ſtricto dorſo, quo petali cuſpidati dorſum reſpicit. In illius orificio *ſtylus* conſpicitur craſſiolus, albo rubeſcens, cujus *capitulum* albo-flaveſcens, planum, rotundum, pilis minutis albicantibus obſitum; cum ſtylo *ſtaminnm* duo reperiuntur paria, rubeſcentia, *apicibus* albicantibus, latis, ſibi mutuo annexis dotata; ad latus campanæ florum inſerta. Inſuper notandum quod *ſtylus* ex globulo exſurgat grandiuſculo, rotundo, in baſi *calycis* ſito; eſtque hic globulus albo flaveſcens, tunica membranacea rubeſcente, quæ facile deglubitur, obductus; transverſim diſſectus ex carnoſis humidis plicis conformatus eſſe videtur. *Folia* cum *Nuce Moſchata Zaccharoque* gingivis applicata, dentium putredinem arcent, eorumque vermes enecant. Ex foliorum ſimul & ligni *ſucco* ellychnia parantur, quæ *oleo* foliorum d'*Emſerno* intincta accenſaque, leves relinquunt cineres, qui palpebrarum aliorumque partium ſuffocant vermiculos; *Bulbus* radicis idem præſtat, cum *Sandalo* pone aures & in fronte applicitus; pulveriſatus nempe & toſtus.

Acorus Calamus.

Vaémbú lat.

വയമ്പ Mal.

Wecandá

वेखड bram.

وابطهنجا arab.



VA EMBU.

TABULA XLVIII.

LIngua Bramannum *Bembi*, planta aquatica eſt. *Radix* ſuaviſſimi odoris, ſaporis peracris, numeroſas, flaveſcentes, capillatas, ab una parte verſus inferiora, emittens fibras, in longum proſerpens, ſicca, molli & albicante cuticula, corculum habet, ſignatura flava annulari, ab interiori carne interſtinctum, per novellos oculos qui è radice protuberant propagatur. *Folia* ex nodis radicis transverſim proveniunt, latooblonga, vel oblongoanguſta, tres quatuorve pedes æquantia, ad unam partem clauſa, atque ibi tunica albicante obvelata, venis ſubtilioribus ſtriata, radicem, pedibus flaveſcentibus ac mutuo convolutis, inveſtientia; ſaporis ac odoris acris. *Folia* cum *Zinzibere* ſicco trita artuum lancinationes & arthriticos dolores ex pituita ſalſa & acri, mitigant. *Radix* in carbonem exuſta & in pulverem redacta dentifricium eſt, quo ſi gingivæ, ſuperpota *Oryzæ* aqua perfricentur, Cynicus curatur ſpasmus. Idem pulvis, cum convenienti liquore aſſumtus, choleræ medetur; imò contra colicos & ventrem lancinantes, aſſumitur dolores. Comeſtus proſtratum appetitum tam efficaciter excitat, ut etiam ſalivam moveat. In aqua lævigatus & propinatus imo pro balneo adhibitus epilepticos ſanat infantes.

TABULA 48.

Acorus hæc eſt *verus Aſiaticus radice tenuiore*, vel *Calamus Aromaticus Garzia ab Horto.* Ab omni parte convenit cum *Acoro vero officinarum*, ſed folia parum anguſtiora ſunt quam *Acori* noſtri, qui magna copia ad ripas aquarum dulcium invenitur, & multoties quotannis ſuos profert julos.

Batatas — *Chois.*

Convolvulus paniculatus

Pal-modecca Lat.

പാൽമുതുക്ക Mal.

عل مُعْضَحَاقَحُوْ Arab.

बुइकवाळ bram.

PAL MODECCA.

TABULA XLIX.

SEcunda ſpecies. *Modecca;* Bramannes dicunt *Cuvalì*, convolvulus eſt naſcens in arenoſis. *Radix* craſſa, tuberoſa, cubitum longa, intus albicans, lactea, mollis, minus lignoſa, exterius nigricans, fibras tenues hinc inde emittens, odore & ſapore glandes æmulans terreſtes. *Caules* tenues, lactei, vetuſtiores cinerei, ſub exteriori cruſta virides, parum lignoſi, tenuiores virides, ex una parte valde rubeſcentes, glabri, nitentes, humidi. *Folia* hinc inde, in petiolis, interius ſtriatis & rubeſcentibus proveniunt, ſingula ſeptem laciniis interſtincta & diviſa, in recta parte viridi fuſca, nonnihil nitentia, in adverſa viridi clara, mollia, lactea. *Coſta* in recta parte etiam eminens ibi rubeſcit, ad ſingulas tranſiens lacinias, in adverſa viridi clara eſt. *Flores* in petiolo communi, plano, nonnihil incurvo, rubeſcente, ſpithamam longo, ex origine foliorum exoriens, brevibus ſuis pediculis plures congregati proveniunt, campanulæ ſunt purpureo rubræ, ex collo, ſtella quinque oblongorum cuſpidum, qui proxime ad oram excurrunt, & venulis in longum ſtriantur, ſignatæ; ipſi cuſpides in collo intenſe purpurei, in extremitatibus purpureo rubro diluti; exterius ex purpureo albicantes, in ſtella nitentes, nullius odoris. *Stamina* in illis emicant quinque purpureo albicantia, *apicibus* oblongis, ſurrectis, albicantibus & farinaceis dotata; *ſtylus* tenuis eſt & albicat, rotundum, craſſum & farinaceum in vertice gerens *nodulum*, qui ex rudimento fructus, in calyce ſito, exoritur. *Calyx* pentafolius eſt, collum campanæ arctiſſime complectens; ſingula folia, rotundiolæ veſicæ inſtar, inflata ſunt, rubro fuſca, ad perſicum colorem vergentia; deciduis floribus ſe arctiſſime claudunt, fructumque, etiam cum maturus eſt, maxi-

mam

mam partem comprehendunt, ſed tum viridia ſunt. *Fructus* baccæ ſunt rotundiolæ, calycis foliis maxima parte arctè obtectæ, ſuperiori parte rufi, interiori virides, quatuor ſubtilioribus venulis in longum ſtriatæ, ac veluti in tot loculamenta diviſæ, quorum duo à duobus reliquis, membrana tenui intermedia, ſeparantur. *Semina* in ſingulis unum, ad partem corticis argenteis filamentis obſitum, irregularis figuræ, duorum triumve laterum, pulpa interior ex flavo albicat. *Radix* in ſole ſiccata, trita, in pulverem redacta, cum *Zaccharo* & *butyro* decocta & aſſumta, macilentos fertur reddere & obeſos; ſed & immodicum menſium ſiſtit fluxum, & in febribus oſſium confert.

TAB. 49.

Ad cæteras *Modecca* ſpecies, de quibus *part. octav.* etiam & hæc pertinet; ubi & una eodem nomine *Pal Modecca*, id eſt, *Modecca altera* deſcribitur: in eo differens quod hujus *flos* ex omni parte, omnium ſit maximus. Ad præcedentes nullas dedimus annotationes; nec mirum, apud omnes enim Botanographos, maximum de illis eſt ſilentium. Aſt cum poſtea vidiſſem Clariſſ. D°. *Breynium prodrom. 2. pag.* 48. omnibus nomen dediſſe, *Floris paſſionis ſpurii Malabarici* (omnes enim, pro ſpuriis habet ſpeciebus,) hæc appellari poſſet *Flos paſſionis ſpurius Malabaricus, flore majore, fructu minore.* Obſervandum eſt quod folia omnium ſpecierum *Modecca*, & uniuſcujuſque ſpeciei, quam maxime inter ſe invicem differant; in uno enim eodemque caule invenies, quæ non, & quæ ter, quater, quinquiesve ſunt diviſa; Ita ut ſolum diſcrimen ſit in *floribus* & *fructubus*.

Calonyction speciosum
Convolvulus grandiflorus.

Múnda-válli lat.

Mal.

نوضحا واللي Arab.

MUNDA VALLI.

TABULA L.

Convolvulus, arenoſa amans, arboribus ſeſe affigens. *Caules* rotundi, virides, non geniculati. *Folia* in petiolis oblongis, craſſis, interius ſtriatis, viridibus, proveniunt, novellis ſurculis hinc inde comitata, formam referunt cordis, anterius cuſpidata, ad pediculum ſinu exciſa, mollia, lenia, viroris in recta parte fuſci, in adverſa diluti, trita odoris gravis, nullius ſaporis. *Coſta* media lata eſt, plana, viridi albicans, una cum lateralibus in utraque parte eminens, maxime in adverſa. *Flores* ad exortum foliorum duo vel tres juncti proveniunt in petiolis oblongis, craſſis, viridi dilutis, tortuoſis, monopetali, prægrandes referentes campanas, oblongo-anguſto, viridi diluto collo è calyce exſilientes, lato & amplo orificio, ſtella quinque oblongorum cuſpidum, qui exterius extuberant, ſtriati, ex ſuperiori colli parte, ubi rugulis leviter criſpantur, contextura tenui & tranſparente, valde lenes & molles, coloris nivei nitentis, viſu jucundiſſimi; ſtella exterius viridis eſt; odor ut *Lilia* noſtratum. *Stamina* ex illis emicant quinque, candida, nitentia, quæ ex inferiori colli parte, cui interius quaſi aſſuta ſunt, *apicibus* decumbentibus albis, alba farina aſperſis, dotata. *Stylus* ex calyce exſurgit liber, candidus, craſſus, ſuper ſtamina, cum ſuo rotundo, albo ac farinaceo eminens *capitulo*. *Calyx* quinque folius eſt, illa oblonga ſunt, ſtricta & cuſpidata, coloris viridi nigricantis, florum collum arcte excipiens. Florum *gemmæ* oblongæ, conicæ, viridi dilutæ. *Fructus* ad exortum foliorum brevibus inſident petiolis, oblongorotundi, cuſpidati; teneri virides, carne intus viridi, ſucculenta, intus cavitate anguſta, grati odoris, cortice craſſiuſculo obducti. Uſus in Medicina nullus vel ſaltem ignotus.

TABULA 50.

Pertinet inter ſpecies Convolvuli. Ego dicerem *Convolvulus Malabaricus flore amplo viridi diluto colore.*

Argyreia — a

Convolvulus malabaricus

Kattú - kelengú Lat.

കാട്ടുകിഴങ്ങു Mal.

كَاطُوْ كِلِيْنْغُ Arab.

KATTU KELENGU.

TABULA LI.

Convolvulus arenoſo gaudens ſolo. *Caules* rotundi, virides, piloſi, parum lignoſi & languidi. *Folia* in petiolis oblongis, rotundis, piloſis, viridibus, ex parte ſpadiceis, ac fuſce rubeſcentibus, caule craſſioribus proveniunt, forma cordis, anterius brevi cuſpide, ad petiolum exciſa, parum piloſa, ob pilorum hirſutiem in recta parte aſpera. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa eminet parte. *Flores* in petiolis rotundis, piloſis, ſupra exortum foliorum prodeuntes, cyathiformes ſunt, ſtella quinque cuſpidali, ex albo viridi diluta, ex orificio in oram ſignati, albo flaveſcentes, in orificio colli fuſce rubro purpurei, lenes, in tractu cuſpidum ſtellæ exterius piloſi, nullius odoris, infra calycem in geniculis petiolis, duobus anguſtis foliolis ſuccincti. *Stamina* ex fundo colli exſurgunt quinque candida, oblongis, albo flavis, ſurrectis *apicibus* dotata. *Stylus* candidus eſt, ſuperius duabus rotundiolis, candidis nodulatus gemmulis. *Baſis* cui ſtamina inſident, quinque rotundiolis feneſtrata eſt cancellulis. *Calyx* pentafolius eſt, folia ipſa cuſpidata ſunt, ſurrecta; illorum tria ampla ſunt & lata, duo interiora anguſta. Floribus deciduis ſuccedunt *globuli* rotundi, qui ſicci, coloris cinereo fuſci, quatuor continentes *ſemina* interſepimentis mediis à ſe mutuo ſeparata; trigona ſunt, uno rotundo, duobus interioribus planis, ejuſdem cum globulis coloris. *Folia* cum *Codiavanacu* & recenti *butyro* trita abſceſſus maturant & aperiunt. *Radix* cum *aqua Oryzæ* levigata eriſipelati reſiſtit.

TAB. 51.

Parte *ſeptima* hujus operis *pag.* 71. alia, ejuſdem nominis deſcribitur planta, quæ cum hac noſtra ne minimam quidem habet convenientiam; illa enim pertinet inter ſpecies *Batattas Sylveſtris*, uti ſuo loco oſtendimus; hæc ſpecies *Convolvuli* eſt. Quamvis autem nota Characteriſtica *Convolvulorum* ſit quod Capſulæ ſeminales ſeſe in tres partes aperiant, ſed illæ hujus plantæ in quatuor diſpertiantur; nihilominus tamen proxime ad illos accedit, & licet claviculis, quas habere oporteret, deſtituatur, ſecundum deſcriptionem DD. *Rayi Hiſt. Plant. Tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 4. tamen illi nomen dedi, *Convolvuli affinis Malabarici, floribus piloſis, variegatis.*

Ipomoea reptans.
Convolvulus repens.

Ballél lat.

വെള്ളൽ Mal.

Taka ſivalli

तकावचाली bram.

بغالهل Arab.

BALLEL.

TABULA LII.

B*Allel*; Bramannes dicunt *Takaſivalli*, convolvus eſt, cauliculis ſuper aquam repens, ac ex illarum Cymis capillatas, viridiſubalbicantes emittens *radices*; illæ, pedunculos caulium obſidentes, ex pluribus conſtant fibris capillatis, candidis, ſaporis aquei. *Caules* tenues, teneri, aquei, virides, cymis inflexi, ex cymarum convexa parte, unde & radiculæ prodeunt, folia ac flores emittentes. *Folia*, quæ longis, rotundis ac viridibus petiolis proveniunt, haſtiformia ſunt, poſtica parte in pedunculos laterales exporrecta, ad eorum oras nonnihil ſinuata, textura craſſiuſcula, viroris in recta parte fuſci, in adverſa diluti. *Coſta* media cum lateralibus in recta maxime eminet parte, minus in adverſa. *Flores* monopetali ſunt, ſtella quinque cuſpidali notati, in ſtella ejuſque cuſpidibus candidi, interius purpureo rubeſcentes, exterius purpureodiluterubeſcentes. *Stylus* ex orificio calycis emergens candidus eſt, in *apice gemmula* albicante farinacea nodulatus; cum illo quinque emicant *ſtamina*, oblongis, albicantibus, farinaceis dotata *apicibus*, lateri inferiori colli inſerta, in ima parte, ubi craſſiora, rubeſcentia, pilisque albicantibus barbata. *Gemmæ* florum oblongocuſpidatæ, viridiſubflavæ. *Fructus* rotundioli, & tribus veluti rotundis lateribus extuberantes, in cuſpidem brevem & anguſtum ſtriati; teneri adhuc oblongiores ſunt & magis cuſpidati; maturi magis ad latera extuberant, coloris viridi albicantis, quinque foliis viridibus & acuminatis *calycis*, maxima parte, præcipue autem ad extuberantias, excepti. *Semina*, in illis continentur tria, interſepimentis candidis à ſe mutuo diſtincta, trigona ſunt, uno exteriore latere rotundo, duobus interioribus planis obtuſe concurrentibus; fabam in ſe continent viri-

dem, anteriori parte in duos lobulos ungulatim, per interſepimentum medium, in medio fiſſam; in convexa parte umbilico ſeu oculo viridi, qui verſus planam partem inflexus velut in ſinum ſeſe recipit, dotatam; faba hac reſoluta, ex oculo viridi, tanquam communi pedunculo, duo plani conſpiciuntur folioſi lobuli, qui ſinguli in duo folioſo, criſpa relaxantur linteola. *Planta* cum ebutyrato *lacte oleoque* ſimul cocta lumborum abſceſſus ſanat, dolorem mitigat.

TABULA 52.

Convolvulus mihi eſt *aquaticus folio longiore, floribus candidis.*

Ipomoea sepiaria

Convolvulus maximus

TIRU TALI.

TABULA LIII.

Convolvulus ſinuoſis ramis arboribus ſe affigens, arenoſo & terreo gaudens ſolo. *Radix* tenuis, fibroſa, longe excurrens, cortice albicante, cujus ſapor ſubdulcis. *Cauliculi* rotundi, tenues, virides, rubeſcentes, raris pilis obſiti. *Folia* hinc inde, ex diverſis cauliculi partibus, petiolis craſſioribus, longiuſculis, teneris, viridiclaris, interius ſtriatis, nonnihil rubeſcentibus, proveniunt, figura inſtar cordis, poſtica parte ad petiolum rotundis oris profunde inciſa, in cuſpidem anguſtum contracta, tenuia, mollia, ſuperficie leniſſima, in margine ſubrubro limbulo circumdata, in recta parte viridifuſca. *Coſta* media cum lateralibus in marginem progreſſa in brachia divaricantur, in adverſa parte maxime eminent, ubi viridifuſciores ſunt & nitentes. *Flores* in longis, tortuoſis, viridi dilutis petiolis, qui cauliculis, ex quibus oriuntur, craſſiores ſunt, ex origine foliorum prodeunt, ſeptem, octo, plus minus congregati, monopetali, albicantes & purpuraſcentes; illorum collum oblongoanguſtum eſt, in illo purpureo rubri ſunt; extra illum purpureoalbicantes & nitentes; ex inferiori colli orificio ſtella notati, cujus cuſpides ad oras deferuntur & ibi pereunt, nullius odoris. *Stamina* in illis quinque candida, tenuia, collo inſerta, *apicibus* flavis & ſurrectis dotata. *Stylus* candidus eſt & tenuis, duabus *gemmulis* in vertice nodulatus, ortum habens ex globulo viridi, fructus rudimento, in fundo *calycis* ſito; ille, collum florum arcte arripiens, viridis eſt, pentafolius, rotundocuſpidatus. Florum *gemmæ* virides & cuſpidatæ. *Fructus* baccæ ſunt rotundæ, aliquo modo planæ, primò virides, exinde flavæ ſeu rufæ, quatuor venulis vel lineis ſtriatæ, in quibus *cortex*, qui duriolus eſt & tenuis, in quatuor ſe relaxat partes. *Semina*

in

in illis quatuor, tenuibus à ſe mutuo interſtincta membranis, de cætero trigona ſunt, uno rotundo, duobus planis lateribus, coloris caſtaneo fuſci, ex oculo in vertice, fila ejiciunt candida, tenuia. *Succus* expreſſus pro lotione adhibetur, ad purificationem corporis.

TAB. 53.

Convolvulus Malabaricus floribus ex albo purpuraſcentibus.

Aniseia uniflora.

Ben-tírú-táli *lat.*

വെൺതിരുതാളി *Mal.*

وهن طبرو طغلي *Arab.*

BEN-TIRU-TALI.

TABULA LIV.

Convolvulus naſcens in arenoſis. *Caules* tenues, rotundi, virides, glabri. *Folia* oblongo rotunda, craſſiuſcula, mollia, lenia, odoris debilis & grati, ſaporis ſubacris. *Coſta* media in utraque parte eminet, laterales in recta extuberant, in adverſa tractibus ſuis conſpicuæ. *Flores* monopetali, companiformes, ſtellati, quinque cuſpidales, oblongo collo, candidiſſimi. *Stamina* in illis quinque ſurrecta, candida, *apicibus* incumbentibus & candidis nodulata, inferius pilis candidis barbata, collo aſſuta. *Stylus* oblongior *gemmula* albicante inſtructus; ex *globulo* viridiflaveſcente, in *calyce* ſito emergens; ille quinque folius eſt, tria illorum ampla & oblongo rotunda, duo anguſta & cuſpidata ſunt. *Fructus* oblongi, filamentum oblongum, viridi dilutum in vertice gerentes; inter quatuor ſurrecta, ſcabra, rigida, & viridia folia, calycis locum adimplentes, conſiti, illorum cortex craſſiuſculus & viridi dilutus, intus valde glaber & albicans; in medio molliſſima, flocculoſa, albicans continetur lanugo. Ex *ſucco* plantæ inſeſſus præparatur, adverſus morbum endemium, *Pitao* dictum: idem cum *fructu* ac *cortice Cadel-avanacu* hauſtus, alvum laxat.

TABULA 54.

Convolvulus Malabaricus, folio longiori, flore candido.

Ipomœa filicaulis.
Convolvulus Medium

Tála-néli lat.

കലനിളി Mal.

Cali-válli

काकेकालि bram.

طالأنجينغبلي Arab.

TALA-NELI.

TABULA LV.

Bramannes dicunt *Cali-Valli* vel *Rain Mamorad*, convolvulus eſt arboribus ſe affigens, vel ſuper terram repens. *Radix* lignoſa, fibroſa, cortice viridifuſco. *Caules* tenuiſſimi, angulati, virides, ad corticem interius membrana albicante, denſa, ſubtiliſſimis pilis pertexta, veſtiti. *Folia* oblongoanguſta, cuſpidata, ad petiolum utrinque pedunculo laciniata, tenuia, mollia, lenia; *Coſta* in adverſa parte eminente inſtructa, viroris communis, nullius ſaporis. *Flores* monopetali ſunt, ſtella in medio ornati, cujus cuſpides in ora nonnihil eminent; albicantes, ſubflaveſcentes, in collo nota roſaceoſatura in orbem ſuffuſi. *Stamina* in illis quinque tenuia, candida, albicantibus, ſurrectis *apicibus* inſtructa. *Stylus* tenuis eſt; illius *capitulum* virididilutum, in duas veluti pennas bifidus. *Calyx* quinque folius eſt & cuſpidatus, florem arcte arripiens. *Fructus* globuli ſunt planorotundi, ex albicante viridiluti, ſtriati, ex ſuturis, per membranas intermedias, in quatuor loculos ſeminales diſtincti, *calyce* quinque oblongorum & cuſpidatorum foliorum profunde excepti, coloris ruffi & ſpadicei ac nonnihil rubeſcentis. *Semina* in iis reperiuntur quatuor, in ſingulis loculis unum, triangularia, uno latere rotundo duobus planis, primum albicantia, exinde ſpadicea. Decoctum hujus plantæ, *Samſtravari*, *Glycirrhiza* & *oleo Sergelim* permixta linimentum præſtat, quo caput illinitur adverſus cephalæam & comæ fluxilitatem.

TABULA 55.

Miratu dignum, quod omnes *Convolvuli* ſpecies, huc uſque deſcriptæ & quæ impoſterum ſequuntur, claviculis deſtituantur, & plerumque quatuor vel plures habeant loculos in capſulis ſeminalibus. Ex genere Convolvulorum tamen minimè ſunt excludendæ, ſed neceſſario inter illos recenſendæ, cum illis enim quam maximè conveniunt. Hæc mihi eſt *Convolvulus Malabaricus, anguſto folio, flore variegato.*

Ipomaea campanulata

Pars 11. Tab. 56.

Adámboe lat.

അടമ്പു Mal.

عضحامبجو Arab.

वानवटली bram.



ADAMBOE.

TABULA LVI.

TRes illius ſunt ſpecies, *Adamboe*, *Schovanna Adamboe* & *Bel Adamboe*; prior lingua Bramannum dicitur *Pougia-Valli*, convolvulus eſt, cujus *radix* fibroſa, albicans. *Caules* rotundi, tenues, minutis pilis obſiti; ſuper terram repentes, radiculas, quibus ſe affigunt, emittentes. *Folia*, quorum petioli ſtriati & piloſi, cor referunt, textura tenuia, mollia, ſuperficie lenia. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminet. *Flores* in uno petiolo plures congregati proveniunt, monopetali, in quinque partes inciſi, corrugati, ſtellati, in collo purpureo rubri & ſaturi, exteriora verſus ex purpureo albeſcentes, ſine odore. *Stamina* in illis quinque albicantia, *apicibus* oblongis, ſurrectis, albicantibus & farinaceis dotata; in inferiori colli orificio, cui inſerta ſunt, craſſiora, albis & lanuginoſis pilis obducta. *Stylus* inter illa apparet tenuis & albicans, craſſa & farinacea *gemma* in vertice notatus, ex *capitulo* flavo, fructus primordio, erumpens. *Calyx* pentafolius eſt. *Fructus* nonnihil planorotundi, foliis calycis arctiſſime incluſi, in vertice caudula eminentes, tribus ſeu quatuor lateribus rotundiolis, ac in latum nonnihil extuberantibus, cortice primum viridi, in ſuperiori parte, ubi calyce non obteguntur rubeſcentes, odoris ubi aperiuntur, fortis, illum *Piperis* & *Zinziberis* viridis æmulans. *Semina* in illis tria vel quatuor, fructum replentia, trilateralia, interſepimentis tenuibus, membranaceis, albicantibus, quæ in oris rubeſcunt, à ſe invicem ſejuncta, coloris argentei; in oris lateris convexi, pilis argenteis obſita; pulpa viridis eſt & nullius ſaporis. Contrita cum lacte aſſumpta, antidotum eſt adverſus morſum ſerpentis *Cobra Capella* dicti; *fructus* triti & cum aqua aſſumti, idem præſtant.

TAB. 56.

Parte *quarta* hujus Operis *Tab.* 20. 21. & 22. arboris ſpecies eodem nomine *Adamboe* deſcribuntur, quæ multum inter ſe differunt, quamvis omnes ſint ſpecies *Malvæ arboreæ*; & ſic plures in hoc opere reperiuntur plantæ, uno eodemque nomine inſignitæ, nullam tamen inter ſe convenientiam habentes, uti antea demonſtravimus: Hæc mihi eſt *Convolvulus Malabaricus flore maximo purpuraſcente.*

Convolvulus Sive capræ

Schovánna adámbú Lat.

ചൊവന്നടമ്പു Mal.

جنْبوّانحاءِ عضحامْبجُوْ Arab.

बागडावलि bram.

SCHOVANNA ADAMBOE.

TABULA LVII.

Lingua Bramannum *Bangada-Valli* convolvulus eſt priori pene ſimilis, excepto quod folia ſint bifida, *flores* paulo minores, ut & *fructus*: *ſemina* pilis in totum villoſa vel lanuginoſa; ubi maturuere in pilis ſpadiceo fuſca, lenitie inſtar *Veluti*, ſub pilis duro, oſſeoque cortice obtecta. In aqua decocta fomentum exhibet quo dolores arthritici mitigantur. *Folia* cum *lacte caprarum* in potionem præparata, pro hæmorrhoidibus propinantur.

TAB. 57.

A°. 1690. Convolvulum hunc in *Horto Medico* ex ſemine produxi & eſt *Convolvulus Maritimus Ceylanicus folio craſſo, bifido, ſeu cordi formi. Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.* Ceylanenſibus *Bitamburu*; *Luſitanis Pes Capræ* dictus.

Ipomoea rugosa

Bel-adámbú-walli lat.

വെളളടമ്പ Mal.

Bángado-valli

बागडवालि bram.

بِهَلْ ءَضَحَانْبُق arab.



BEL-ADAMBOE.

TABULA LVIII.

Convolvulus naſcens in petroſis, radiculis albicantibus terræ ſeſe affigens. *Radix* ruffa, intus nonnihil lignoſa albicans, in longum excurrens, tortuoſa, fibris veſtita; illius *cortex* ſaporis eſt ſubdulcis & ſubacris, odoris terrei. *Caules* rotundioli, virides, flexiles, parum lignoſi, albicante medulla. *Folia*, quorum petioli ſulco ſtriantur, ad exortum proveniunt radicularum, forma lati & obtuſi cordis, circa petiolum angulato ſinu exciſa, craſſiola, mollia, lenia, viroris in recta parte ſurdi, in adverſa dilutioris, *coſtis* craſſis inſtructa, nullius odoris vel ſaporis. *Flores* campaniformes ſunt & ſtellati, floribus *Adamboe* per quam ſimiles, ſed in totum candidi. *Stamina* in illis quinque ſurrecta, *apicibus* oblongis, candidis, ſurrectis dotata. *Stylus gemma* nodulatur candida, rotunda & granulata. *Calyx* pentafolius eſt, tria illorum oblongiora ſunt & viridiluta, duo minora & viridifuſca. *Globuli* in calyce conſpiciuntur ſeminales, quorum vertex filamento coronatur oblongo, tenui, ubi cæruleo fuſci, ad calycem albicantes. *Semina* in illis tria vel quatuor triangulata, oblonga, ſuperiori parte in cuſpidem ſtricta, coloris cinereofuſci, intra pulpam unicum, parvum & rotundiolum recondentia nucleum, odoris & ſaporis fabacei. *Succus* cum *oleo Maro* & *Zingibere* decoctus, linimentum præſtat, capiti inunguendum, quo morſus rabidi canis irritus redditur.

TABULA 58.

Convolvulus Malabaricus folio rotundiore, craſſo, flore candido.

Ipomaea Pes tigridis

Pulli-Schovadi lat.

പുലിച്ചുവടി Mal.

بُولِيْ جُيُوبَحَاضْحِبْ Arab.

अन्त brahm.

PULLI-SCHOVADI.

TABULA LIX.

BRamannes dicunt *Arty*, convolvulus ſuper terram repens vel etiam arbores ſcandens. *Radix* brevis, rotunda, tenuis, aquoſa, virididiluta, fibras numeroſas barbatas à latere emittens. *Caules*, palmitum more ſuper terra currentes, nullasque claviculas ejicientes, teneri ſunt, duri, flexiles, piloſi, aſperi, ſub pilis virididiluti; pili ipſi longiuſculi & ſubflavi, coloris *Xerampelini*. *Folia* etiam piloſa ſunt, in ſex, ſeptem, vel etiam plura folia rotundo cuſpidata inciſa, omnia *Coſta* media & lateralibus inſtructa, craſſa, virididiluta, ſaporis & odoris ſylveſtris. *Flores* quorum petioli longiuſculi, virididiluti piloſi & aſperi, circa originem foliorum proveniunt, ex craſſis, folioſis, virididilutis, & cyathiformibus *calycibus*, campaniformes, anguſto collo, coloris candidi & nitentis, verſus ſuperioriora criſpati & corrugati, venis ſubtilioribus in longum ſtriati, pilis rariſſimis obſiti. *Stamina* in illis viſuntur quinque tenuia, recta, candida, albis & ſurrectis dotata *apicibus*. *Stylus* candidus eſt & longiuſculus, in vertice *gemma* alba ornatus. *Calycis* folia anguſta, hirſuta, viridia, inferius albicantia. *Semina* in gemmis continentur quatuor, quæ gemmæ tenuibus nervis in quatuor ſe dividunt latera; ipſa ſemina oblonga ſunt, trigona, parum piloſa, primo albicantia, exinde fuſca. *Folia* cum *Pipere* trita & parti affectæ impoſita, omnem virulentiam, à morſu canis rabidi contractam, amovent; cum *butyro* trita apoſtemata reſolvunt.

TABULA 59.

Convolvulus Heptaphyllus Indicus Villoſus. Breyn. Prodr, 1. Vel *Convolvulus Ceylanicus Villoſus pentaphyllus & heptaphyllus minor, Cat. Hort. Acad. Lugd. Batav.*


Ipomaea Quamoclit
Tsjúria - czánti lat.
Mal.
Tsjúria -- cránti
bram.
Arab.

TSJURIA-CRANTI.

TABULA LX.

CONvolvulus cujus *radix* albicans fibroſa & capillata. *Caules* tenues, intorti, viridi-diluti, nitentes, aquei, cymis inflexi, ex cymarum adverſa parte, caules ejicientes tenues, folioſos, virides; etiam & ipſi folioſi ſunt, una parte nonnihil ſulcati, certo ab exortu intervallo, foliis veſtiti, in medio ſulcatæ partis velut nervulo obſiti. *Folia* anguſtiſſima, oblonga, graminiformia, craſſiola, in recta parte viridifuſca, nervulo tenui eminente inſtructa, in adverſa viridi dilutiora & nitentia. *Flores* prodeunt in cauliculis oblongis, tortuoſis, viridibus, qui cum cauliculis folioſis, ex cymis caulium emicant, & ſuperiori parte nodulis extuberant, ac ſæpius in nodulis in binos divaricantur pedunculos, & ad florum confinia nodulo craſſiori turgeſcunt. Ipſi flores ſtellam referunt quinque cuſpidalem, oblongo, anguſto collo, in totum purpureo rubri, intus in foliis coloris purpurei ſcarlatini venuſtiſſimi, odoris expertes. *Stamina* in illis quinque rubra, nitentia, rubris & oblique decumbentibus *apicibus*, candido, farinaceo rore aſperſis, ornata, colli inferiori parti inſerta. *Stylus* albicans, inferius viridis eſt & craſſiuſculus, candida & farinacea *gemmula* inſtructus. *Capſulæ ſeminales* oblongorotundæ, anterius in cuſpidem obtuſum ſtrictæ, tribus quatuorve ſuturis ſtriatæ, primum virididilutæ, exinde ruffæ, *cuſpidem* in vertice gerentes oblongum, primo viridem, poſtea durum & ruffofuſcum; membranaceis interſepimentis in tres quatuorve valvulas diſtinctæ. *Semina* in principio albicant, ſicca nigricant, oblonga, nonnihil angulata. *Philtri* efficaciam huic plantæ tribuunt incolæ. *Succus* è foliis expreſſus errhynum eſt cephalalgiam fugans.

TABULA 60.

Tsjuria-Cranti Malabarienſis eſt *Cuamoclito* ſive *Jasminum Americanum. Cluſ. Cur. Poſth.* ſed pro *Jasmini* ſpecie haberi non poteſt; atque ideo à *Moriſon in Hiſt. Oxonienſ.* recte vocatur *Convolvulus exoticus annuus foliis Myriophylli* ſeu *Millefolii Aquatici, flore ſanguineo.*

SAMUDRA-STJOGAM.

TABULA LXI.

Convolvulus naſcens in arenoſis. *Caules* rotundi, villoſi, cinereoalbicantes, ſubvirides, lenes, ſub villoſa tunica viridiſaturi, intus lignoſi & medulla inſtructi. *Folia* in petiolis videntur valde oblongis, rotundis, craſſis, interius ſulco ſtriatis, villoſis, cinereoalbicantibus, ſubviridibus lenibus, ſuntque ampla, oblonga, in cuſpidem ſtricta, forma cordis, ad petiolum ſinu exciſa, craſſiuſcula, valde mollia, intus glabra, viroris ſaturi; in adverſa parte, denſa, cinereoargentea, tomentoſa, pannum diceres lanuginoſum torculari compreſſum, tenera, cum lateribus interioribus arcte clauſa & unita. *Coſtæ* in adverſa parte eminent, rectam ſtriantes. *Flores* petiolorum vertici plures congregati & faſciati inſident, monopetali, campaniformes, ſtellati, interius fuſce rubro purpurei, nitentes, ad oras dilutè rubeſcentes, exterius in collo ut & calyce lanugine albicante, tomentoſa veſtiti, inferius ad calycem oblongis, cuſpidatis, candidis lanuginoſis ſuccincti & obtecti foliis. *Stamina* in illis quinque oblonga, candida, *apicibus* grandiuſculis, oblongis, candidis, ſulcatis dotata. *Stylus* duabus exornatur junctis & granulatis *gemmulis*. *Calyx* arctus eſt, cujus folia cuſpidata & convoluta. Florum *Gemmæ* oblongæ, cuſpidatæ. *Fructus* ſubrotundi ſunt, alii duobus, alii tribus extuberantes lateribus, *cuſpidem* in vertice gerentes; immaturi *corticem* habent viridifuſcum, qui inciſus copioſum & ardens exſudat lac; maturi aurancei coloris ad flavum vergentis, intus medulla carnoſa, dulci, molli, minime lactea inſtructi. *Semina* in illis tria in diſtinctis loculis ſeparata, triangulata, viridi flava, carne albicante & dura. Uſum non norunt Medici.

TABULA 61.

Convolvulus maximus Malabarienſis, folio villoſo, floribus purpuraſcentibus.

Bátta-válli lat.

വട്ടവള്ളി Mal.

وَوَعْطَعٌ وَاللِّيْ Arab



CATTU-VALLI.

TABULA LXII.

Convolvulus arbores ſcandens. *Caules* rotundi, virides, lignoſi, vetuſtiores cinerei. *Folia* formam lati & obtuſi cordis referunt, ſpiſſa, viroris in recta parte ſaturi & nitentis, in adverſa viridi diluti & cinerei, *coſtis* tam media quam lateralibus inſtructa; illa quæ propius ad caulium conſident ſummitatem, inferioribus ſenſim minora & contractiora evadunt. Flore & fructu caret. Ex *foliis* balneum præparatur adverſus bulymum & malaciam. Ex *radice* cum *Curcuma* & *ſerolactis* trita linimentum conficitur, artuum dolores mitigans.

Máreta-jnáli Lat.

[illegible] Mal.

[illegible] Arab.

MARETA-INALI.

TABULA LXIII.

Convolvulus arboribus ſe affigens. *Caules* rotundi, lignoſi, geniculati, cinerei, langui-di. *Folia* plura congregata in oblongis proveniunt cauliculis, oblongorotunda & anguſta, anterius cuſpidata, valde craſſa ac carnoſa, plurimis filamentis pertexta, rigida, dura, in oris rugulis ſe criſpantia, ſuperficie plana & glabra, viroris in recta parte ſurdi ac fuſci, in adverſa clari, intus carne viridi aquea & ſublactea. *Coſta* in ad-verſa parte alte extuberat, in cujus tractu folia interius ſulco ſunt ſtriata, ſaporis amari. *Floribus* deſtituitur. *Fructus* in geniculis caulium proveniunt oblongo rotundi, nodos referentes lignoſos, rugoſi, aſperi. *Succus* cho-leræ medetur.

TAB. 62. 63.

Deſcriptio harum plantarum imperfecta eſt, ita ut de illis nihil certi poſſim affirmare.

Vistnú-clándi lat.

വിഷ്ണുക്രാന്തി *Mal.*

[illegible] *Arab.*

वुषणुक्रांति *bram.*

VISTNU-CLANDI.

TABULA LXIV.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, *Viſtnu-Clandi* & *Sendera-Clandi*. Prior planta humilis eſt cum cauliculis transverſim ſuper terram diffuſa. *Radix* tenuis eſt & recta, in terram ſe demittens, fibris tenuibus veſtita, *cortice* rufo, interius albicante, ſaporis ſubdulcis. Ex illa per plures, valde tenues, rotundi, piloſi, lanuginoſi ac virides exeunt cauliculi, cubitum plus minus longi, non in altum ſed in latum diffuſi. *Folia* valde parva ſunt & oblongo rotunda, craſſiola, mollia, lenia, in utraque parte lanuginoſa, longis ac denſis pilis obſita, viroris communis, ſaporis ſubdulcis. *Coſtulæ* in adverſa parte nonnihil eminent. *Flores*, quorum petioli tenues lanuginoſi, piloſi, virides, longi, qui digitali à floribus intervallo, minutis & cuſpidatis ſunt veſtiti foliolis, ſupra ex origine foliorum proveniunt, monopetali, ſtella quinque cuſpidem ſignati, coloris in exteriori ſuperficie inter ſtellæ cuſpides cæruleo diluti, ad umbilicum in ſtella purpureorubicundi, in umbilico albicantes, exterius in ſtellæ cuſpidibus ex purpureo albicantes. *Stamina* in illis quinque *apicibus* brevibus dotata, cum quibus etiam quatuor vel quinque albicantia erumpunt filamenta. *Calyx* viridis, piloſus, in quinque foliola diviſus. *Gemmæ* in vertice pilis albicantibus ſunt inſtructæ. *Flores* ipſi ſub veſperam arctiſſime clauduntur, adeo ut viſum pene fugeant; æſtivo tempore etiam ſecunda à meridie hora clauſos invenies. *Capſulæ ſeminales* parvæ & rotundæ, primo viridi dilutæ, dein flaveſcentes. *Semina* pro numero angulorum quatuor, tria, vel etiam duo inveniuntur, nullis interſepimentis à ſe mutuo ſecluſa, trilateralia, uno rotundo, duobus planis, depreſſa, flava vel ruffa, matura rubrofuſca. Tota hæc planta vegeti & haud injucundi eſt odoris

præcipue aquis impoſita; tempore pluvioſo maximè reperitur, æſtivo non niſi in locis umbroſis. Antifebrile eſt cum *Cumino* decocta; etiam pro extenuatione corporis & morbis chronicis exhibetur. Cum *lacte* aſſumpta etiam calidas curat febres. *Oleo* incocta & capiti illita capillos promovet.

Tabula 64.

Minus genus eſt *convolvuli*; à me vocatur *Convolvulus Indicus minor, Alſine folio, flore rubicundo, purpureo*.

Séndera-clandi Lat.

ചെന്തരക്കാണ്ടി Mal.

چیاذضحیھرآیکلاذضحی Arab.

चदनकाति bram.



SENDERA-CLANDI.

TABULA LXV.

SEcunda *Clandi* ſpecies. *Radix* tenuis, fibroſa, cortice rufo, albicante. *Cauliculi* quinque angulati, glabri, non piloſi, viridi fuſceſcentes. *Folia* in utraque parte glabra ſunt, oblongoanguſta, illis primæ ſpeciei longiora, ſuperiora verſus lateribus magis deductis, ſemilunata, vel etiam duabus ſemilunulis tricornuis exciſa, ad petiolum duobus pedunculis, bicuſpidalibus vel tricuſpidalibus eminentia. *Flores* odoris expertes, majores ſunt illis primæ ſpeciei, monopetali, ſtellam referentes quinque cuſpidalem, alboflaveſcentes, ad umbilicum purpureorubri. *Stamina* in illis quinque, ſurrecta, albicantia, apicibus dotata. *Capſulæ ſeminales* cuſpidatæ, foliis *calycis* maxima parte comprehenſæ, ex vertice filamentum ejicientes tenue & albicans. *Semina* in illis paſſim reperiuntur quatuor, trigona, duobus planis, uno rotundo, coſtula, in medio extuberante, ſtriantur; colorem referunt ſeminis *Naſturii.* Tempore pluvioſo etiam quam maxime invenitur, æſtivo non niſi in locis umbroſis. In decocto aſſumta antifebrile is. Cum *Zaccharo* ardorem jecoris reſtringit. In pulverem redacta & cum aqua capiti illita, omnes ſedat dolores. Trita & cum *Vaccæ urina* epota omnes arthriticos dolores, præcipue in pedibus, mitigat.

TABULA 65.

Convolvulus Indicus minor, ſolio anguloſo, flore ex albo flaveſcente.

FINIS.

I N D E X.

Prior numerus tabulam, poſterior paginam deſignat.

A.

ADamboe. 56. 115
Ambel. 26. 51
Arega Ambel. 52

B.

Ballel. 52. 107
Bel Adamboe. 58. 119
Belam Canda Schularmani. 37. 73
Bela Pola. 35. 69
Belutta Pola Tali. 38. 75
Bem Tamara. 31. 61
Ben Tiru Tali. 54. 111

C.

Cadenaco, ſeu, Katu Kapel. 42. 83
Carim Gola. 44. 91
Cata Valli vel Kadanaca. 3. 7
Catulli Pola. 40. 79
Cattu Valli. 62. 127
Cit Ambel. 27. 53
Culi Tamara. 45. 93

E.

Ela Pola. 36. 71
Elettari. 4.5.6. 9

I.

Inſchi vel Inſchi Kua. 12. 23

K.

Kadanacu vel Catavalla. 3. 7
Kapa Tsjaka. 1.2. 1
Karin Pola. 23. 45
Katou Inſchi Kua. 13. 25
Katsjoula Kelengu. 41. 81
Kattu Kelengu. 51. 105
Katu Bala. 43. 85
Katu Kapel ſeu Cadenaco. 42. 83
Katu Schena. 21. 41
Kodda Pail. 32. 63
Kua. 7. 13
Kurka. 25. 49

M.

Mala Inſchi Kua. 14. 29
Malan Kua. 8. 17
Manja Kua. 10. 19
Manjella Kua. 11. 21
Mareta Inali. 63. 129
Mundi Valli. 50. 103
Mulen Schena. 19. 37

N.

Naru Kila. 34. 65
Nedel Ambel. 28. 57
Nelenſchena major. 20. 39
minor. 17. 33
Nir Tjembu. 16. 33

O.

Ottel Ambel. 46. 59

P.

Pal Modeca. 49. 101
Panavera Tjeraua. 33. 56
Parua Kelenga. 15. 31
Pongati. 24. 47
Puli Schovadi. 59. 121

S.

Samudra Sjogam. 61. 125
Schena. 18. 37
Schovanna Adamboe. 57. 115
Sendera Klandi. 65. 133
Sjovanna Pola Tali. 39. 77

T.

Tala Neli. 55. 113
Tamara. 30. 59
Tjem Cumulu. 47. 97
Tiru Tali. 53. 109
Tsjana Kua. 8. 15
Tsjeroea Cit Ambel. 29. 57
Tsjuria Cranti. 60. 123

V.

Va Embu. 48. 99
Viſtnu Clandi. 64. 131

W.

Weli Ila. 22. 43

HORTI MALABARICI
PARS DUODECIMA, & ULTIMA,
DE
HERBIS
ET DIVERSIS ILLARUM
SPECIEBUS

Latinis, Malabaricis, Arabicis, Brachmannum characteribus nominibuſque expreſſis.

Adjecta Florum, Fructuum, Seminumque nativæ magnitudinis vera delineatione, colorum viriumque accurata deſcriptione,

ADORNATA

Per piæ memoriæ Nobiliſſimum ac Generoſiſſimum D. D.

HENRICUM VAN RHEDE TOT DRAKESTEIN,
Toparcham in Mydrecht, Malabarici Regni Gubernatorem, ſupremi Conſeſſus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium, & Equeſtris Ordinis nomine Illuſtribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adſcriptum.

In ordinem redegit & latinitate donavit,

ABRAHAMUS A POOT M. D.

Notis ex parte adauxit, & Commentariis illuſtravit

JOANNES COMMELINUS,
Reipublicæ Amſtelodamenſis (dum viveret) Senator, ac Horti Medici Præfectus.

Accedit, præter hujus partis ſpecialem, generalis totius Operis Index.

Mo. Bot. Garden, 1898

AMSTELÆDAMI.
Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM,
Anno cIↄ Iↄc ciii.

Aerides retusu



Anſjeli Maravara. *lat.*

[illegible] . *Malabar.*

Ponoſſau-kely. *Bram.*

HORTI MALABARICI

PARS DUODECIMA,

DE

HERBIS

ET DIVERSIS ILLARUM SPECIEBUS.

ANGELI MARAVARA.

TABULA I.

M*Aravara*, Bramannes dicunt *Ponoſſou-kely*, commune nomen eſt omnium plantarum, ſupra arbores creſcentium, quæ in terra nec excoli, nec ſeri nec transplantari poſſunt; omne quod habent ex corticibus arborum extrahunt, quare etiam nomen *Maravaræ*, venenum arborum dicit. *Mara* enim *arborem*, *Vara malum* ſignificat; omnes enim ejusmodi plantæ arbores quaſi ſuffocant, ita ut brevi pereant. Nomen ſortiuntur ab arboribus quibus inſident; quare & hæc ab arbore *Angeli*, *Angeli Maramvara* dicitur. Planta eſt altitudinis duorum cubitorum. *Radix* alba, lignoſa, dura, inflexa, criſpata, capillaribus, duris, teneris, piloſis radiculis, corticibus arborum ſeſe affigentibus. Saporis aquei, odoris muſci. *Caulis* è radice exſurgit, inter duas foliorum ſeries, ſimplex, nitens, glaber, viridis, annulatus, intus carne viſcida, glutinoſa, filamentis lignoſis in longitudinem pertexta, quæ quamquam lignoſa, nunquam tamen ad duritiem ligni

accedunt, ſed ſemper viſcida medulla replentur. *Folia* quæ ex ſe invicem in vertice caulis proveniunt, & exſiccata ipſum caulem conſtituunt, oblongo anguſta ſunt, ab omni parte æque craſſa & lata, complicata, glabra, viroris nitentis, ſine venis & nervis conſpicuis, duobus ſemicirculis ad ſe invicem excavata, denſa, ita ut vix flecti poſſint, odoris & ſaporis expertia. Florum petioli, ex ipſo caule inter folia, decem vel duodecim ſimul rectà exſurgunt, virides ſunt & rigidi, in longitudine firmioribus nervis inſtructi, intus carne & humore viſcido repleti; ubi excreſcunt magna copia minutiſſimarum gemmularum obducuntur, illæ albæ ſunt, pedetentim ſeſe ampliantes at non aperientes, antequam juſtam conſecutæ ſint magnitudinem. *Flores* omnes ſimul ſeſe aperientes, caulem ſuis inveſtiunt petalis, caudam vulpinam egregiè referentes, aſpectu jucundi; petioli albicant, ad verticem caulis reflexi, cauli parvo, acuto foliolo annexi, primo virides exinde ruffi; ipſi flores *hexta-peli* ſunt, rigidi, craſſi, oblongo rotundi, difformes, candicantes, maculis rubris, cæruleis, luridis, aſperſi ſextum illorum lingulam habet inflexam, præ cæteris eminens, ex cæruleo-rubro optime refulgens, intus & extus pure candidum inſtar Lilii, ex illo deorſum deſcendit capſula, inſtar crucibuli, interiori parte cava & alba, exteriori iiſdem maculis, ut florum petala, aſperſa. In medio florum circa finem petioli, elegans quaſi avicula conſpicitur, ex viridi nitens, maculis rubris cæruleiſque variegata, criſta candida in capite inſtructa; pes cui inſiſtit colore intenſe purpureo ſe diffundit, uſque in congeriem petalorum, ubi color tandem ſub petalorum albedine diſparet. Elegans roſtellum aperturæ concavæ illius gemmulæ obvertitur, quaſi ſemina ex illa appeteret. Brevi, elegantia & vera effigies, excellentiſſimæ hujus plantæ, verbis vix exprimi poteſt, omniumque ſpectatorum oculos trahit. Odoris in totum grati & amæni. *Fructus* ex petiolis florum proveniunt, oblongi, rotundi, circa pedem anguſti, ad extremitates contracti, vertice tripartito, totidemque extuberantibus coſtis; viridinitentes ſunt & glabri, exinde ruffi & ſubfuſci, intra coſtas,

ſtas, in latere plano, tres conſpiciuntur ſuturæ, in quibus fructus ſeſe aperiunt, & trifariam finduntur. *Cortex* craſſus eſt, intus albus, lineis rubris notatus, illic loci ubi ſuturæ inter ſe invicem junguntur, lana candida molliſſima faſciatim repletus, quæ faſciæ denſiſſime ſunt conjunctæ & quaſi intricatæ, oris ſuturarum affixæ; lana ipſa exſiccata repleta eſt pulvere ruffo, ſubtili, inſtar pollinis, ſeminis vicem referentes; ipſe fructus, petiolus, ſemen vix ullius ſunt ſaporis vel odoris. Diu ſuperſtes eſt hæc planta, bis quotannis floret, in principio & fine temporis pluvioſi, menſibus nempe Aprilis & Octobris. *Flores* per binos ſuperſunt menſes; ramus deciſus, in vitro vel vaſe aqua repleto impoſitus, non ante menſem exareſcit. Ab incolis nulli adhibetur ornatui, neque in templis, pro monſtro enim illam habent, ut quæ contra naturam à terra exulare videatur. Nota quod omnes hæ plantę *Maravaræ* in quatuor diſpeſcantur ordines. Prior, qui hic exhibetur, ſimplici gaudet caule è radice exſurgente, atque eodem modo fructus & ramos floriferos edente. Alter ex communi radice diverſos profert, ex quibus quędam plantæ non niſi flores & fructus, aliæ nil niſi folia gerunt. Tertius è radice fructum, è fructu folium, flores, & iterum alios producit fructus. Quartus, ita ſe arboribus inſerit & commiſcet ut non niſi magno labore ab illis poſſit dignoſci, flores gerens & folia & fructus. Tota planta cum ſero lactis & butyro concocta, vellicationes nervorum, ſpasmum, motus epilepticos infantum curat; in pulverem redacta & aquę cannę ex qua ſaccharum conficitur immixta, caput confortat, cerebrumque, vertiginem, febribus pręcedentem, tollit: in cinerem combuſta, & ſale ex cinere extracto, palpitationem cordis ſedat: majora folia cum illorum ſucco umbilico impoſita, urinam, arenulas imo calculum & menſes promovent. Radix trita cum melle recenti & bene cocto antiaſthmaticum eſt imo antiphtyſicum medicamentum: ſuccus viſcoſus ex caulibus & foliis expreſſus temporibus & manuum arteriis impoſitus, febris ſiſtit ardorem.

TAB.

TAB. I.

Omnes hæ plantæ ordine ſequentes ſub cognomine *Maravaræ* deſcriptæ, ab Authore noſtro pro ſpecie Viſci haberi videntur, quoniam ex ſua ſententia nunquam in terra progerminarent. Sed, cum pace magni illius viri dictum ſit, meo judicio errat: in hiſce enim regionibus multas videmus plantas arboribus vetuſtioribus inſidentes, quæ terræ mandatæ, ſola cultura ad plantas poſſint referri terreſtres; ut quam plurimæ ſpecies *Filicis Adianthi* &c. Unicum hoc tantum addam, nempe hanc *Angeli Maravaram* ſpeciem eſſe *Orchidis abortivæ*, vel *Orobanche*, ideoque à me vocatur *Orchis Abortiva Aizoides Malabarienſis, flore odoratiſſimo variegato, intus aviculam repræſentante.*

Biti maram Maravára. lat.
[illegible]. Mal.
Giriy. Bramin.

BITI MARAM MARAVARA.

TABULA II.

LIngua Bramannum. *Giriy*, priori ſpeciei admodum ſimilis eſt. *Radix* craſſiola, fungoſa, glabra, cineritia, intus viridis, carnoſa, viridi mucagine repleta, filamento ligneo ſuffulta, cui ſe arboribus vel illarum corticibus affigit. *Caulis* ex foliis conficitur, quibus à radice circumquaque concluduntur, deinde in duas ſe dividunt ſeries, ſed illa exſiccata & decidua caulem reliquunt nudum, qui viridis, veſtigiis pedum foliorum in cortice geniculatim notatus, admodum tenuis eſt, nullo modo divellendus, in una parte viſcidis & viridi albicantibus tubulis & medulla mucilaginoſa repletus. Saporis & odoris expers. *Folia* cum illis *Angeli Maravaram* in omnibus conveniunt. *Flores* ejuſdem ſunt formæ, ſed rubentes, cæruleis, flavis viridibuſque maculis aſperſi, avicula purpurea eſt. *Fructus*, qui ex petiolis florum conficitur, rotundus eſt & glaber, ſine laciniis, in quo ab illo primæ ſpeciei differt. *Succus* cum oleo Sergelim & recenti butyro concoctus febris ardorem reſtringit, ſtranguriæ medetur, calculos & menſtrua provocat, hydropi adverſatur, tympanitidem diſcutit, morbum endemium curat, ſanguinem melancholicum purgat. Sed ubi hæc planta ſupra arborem *Kansjiram* invenitur, tum vomitum ciet, totum corpus immodice turbat, alvum laxat & quidem tanta cum vehementia, ut non niſi ſummo cum periculo & præcautione adhiberi poſſit; nam illico ſæpius hominem occidit. Nota quod hæc planta tum in totum, fellis inſtar, amara ſit, & flores ſine odore vel ſapore; raro tamen invenitur, & quam minime in prædicta arbore.

TAB. 2.

Convenit hæc cum priori, mihi eſt *Orchis abortiva Aizoides Malabarienſis altera, flore odorato, ſanguineo colore, intus aviculam purpuream referente.*

Vanda spathulata

Ponnámpu Maravára. Lat.

[illegible]. Malab.

Suánna-puspā.

सुवर्णपुष्पा Brami.

[illegible] Arab.

PONNAMPOU-MARVARA.

TABULA III.

TErtia ſpecies quam Bramannes *Souanna-Pouſpa*, quaſi diceres *flos aureus*, Belgice *Goud blom*; *Ponna* enim *aurum*, *Pou* flos eſt, vel *Roboſa* vocant. *Radix* longa, rotunda, glabra, ſubviridis, fungoſa, interiori parte viridis, humore viſcido repleta, filamento cinereo pertexta, ſaporis & odoris aquei. *Caulis* ad duos exſurgit pedes viridi fuſcus eſt, intus viſcida, craſſa, alba, limpida aqua & viridi medulla repletus, filamento carens, odoris & ſaporis expers. *Folia* cum præcedentibus pene conveniunt, viridia, glabra nitentia, rotundis oris, ſine nervis, carne molli, viſcida, mucaginoſa repleta. Florum petioli proveniunt, octo vel decem ſimul, in altum ſeſe erigentes, circa finem quam pluribus ſubflavis, & viridi intermixtis gemmulis, tribus eminentibus oris notati, & totidem lateribus planis; ubi cauli affiguntur, foliolo teguntur parvo concavo & viridi. *Flores* hextapetali ſunt, craſſi, oblongo-rotundi, flavi, interiori parte inſtar auri coruſcantes; illis ſecundæ ſpeciei admodum ſimiles; *gemmula* in extremitate petioli oblonga eſt & alba, ad latera glabra, ſuperiori parte quaſi ore aperta, ex quo filamentum prodit rubrum, duobus flavis nodulis dotatum. Gratiſſimi ſunt odoris, ſed non tam diu ſuperſunt ut illi *Angeli Maravara*. *Fructus* illis primæ ſpeciei ſimiles ſunt, excepto quod horum vertices erecti, illorum magis dilatati ſint; forma quaſi ſexagoni, quod in prioribus non item. Folia ab incolis coquuntur & multifariam comeduntur, ſed non cum ſupra arborem *Tsjero* vel *Bibo* creſcat planta. Bis quotannis floret. Tota planta trita, cocta & cum *Cootsji-Leetsji-Pulle* & oleo *Nucis Indicæ* uſurpata lepram ſanat; Pulvis cum flore *Oryzæ*, *Nuce Moſchata*, *Naega-Pou* & melle

melle permixtus diarrhæam ſiſtit; ſuccus cum Nuce Moſchata dyſenteriam. Pulvis cum melle exhibitus furioſos ſanat, bilem temperat. Flores in pulverem redacti, contra phtyſin, aſthma, maniam adhibentur.

Tab. 3.

Hæc mihi eſt *Orchis Azoides abortiva Malabarienſis, foliis obtuſis, flore aureo odorato;*

Thalia Sarcochilus

Thalia Maravára lat.

[illegible] *Malab.*

[illegible]

Thali. Brami.

THALIA MARAVARA.

TABULA IV.

QUarta ſpecies eſt, Bramannibus dicitur *Thali*. *Radices* longæ, corrugatæ, ſimplices, cinereæ, carneæ, filamento fortiter nervoſo, humore viſcido & carne ſubviridi repletæ; odorem referentes Muſci viridis, ſaporem ſubſalſum. *Caulis* idem ut præcedentes ſed magis corrugatus, viridis, vetuſtior cinereus; interiori parte filamentis lignoſis repletus, quæ ruffa ſunt & ſubviridia, mucagine obſeſſa. *Folia* cum prioribus conveniunt, ſed denſiora, & quaſi coreacea, flectu fractuque difficilia; ſuccus expreſſus & virgula aquantulum agitatus ſaponis inſtar ſpumeſcit, unde & nomen *Thali* quod ſpumam ſignificat, plantæ inditum eſt. Sapor ſubſalſus eſt, odor gramineus. *Florum* petiolus cum præcedentibus convenit, ſed brevior eſt, in totum rigidus & lignoſus, primo viridis, exinde ruffus, intus albus, humoris, odoris & ſaporis pene expers. *Flores* ut reliqui ſed faſciatim provenientes, multo minores, flavi, rubeis radiis tranſverſim quaſi undulati, gratiſſimi odoris. *Fructus* ut illi *Biti-Maravari*, ſed trigoni. Diu ſuperſtes eſt hæc planta, ſemper progerminans, floret menſe Octobri, ſemel quotannis; ipſi flores à trunco avulſi longo tempore conſervantur. *Radix* trita & in pulverem redacta, adhibetur in febribus ardentibus, morbillis, variolis; ſudorem enim promovet. Succus Foliorum recens melle permixtus, alvum laxat.

Mau Tsierou maravára. Lat.

[illegible]

Ambo Kely bram.

جهرو معرع والمحع *Arab.*



TSJEROU-MAU-MARAVARA.

TABULA V.

QUinta ſpecies, lingua Bramannum *Ambo Keli*, prioribus multo minor; *Radices* longæ, rotundæ, fuſcæ, duræ, tenues, lignoſæ. In arbore *Mangus*, unde & nomen ſortita eſt, quam maxime invenitur, odoris Muſci; ſaporis ſubaſtringentis amari. *Caulis* arundinis inſtar erigitur, primo viridi clarus, exinde fuſcus; viridi, aquea mucagine repletus, filamentis albis, lentis, nervoſis pertexta; hæc a radice per caulem uſque in folia divaricantur. *Folia* admodum anguſta ſunt, una parte concava, exteriori convexa, viridi clara, glabra, craſſa, viridi & viſcida carne repleta, ſine ſapore vel odore. Florum petioli intra folia proveniunt & caulem, decuſſatim diſpoſiti, numero decem vel duodecim, teneres, rotundi, lignoſi, virides, punctis rubris notati. *Flores* cum ſuis cauliculis, ſimul proveniunt, ſine ordine viridi, trigono & ſuperiori parte reflexo petiolo inſidentes; illis *Thalia-Maravara* admodum ſimiles; differunt tamen; hextapetali ſunt, difformes, quorum quinque flava, rubris quaſi flammis circa oras notata; ſextum candicat, ora rubent, ſed tandem quaſi flaveſcentia in albo diſparent; in totum egregii ſunt flores, aſpectu jucundiſſimi, odore gratiſſimi. In medio rotundus, depreſſus, albus conſpicitur globulus, elegantiori flavo penicillo ornatus. *Fructus* admodum exiguus eſt, oblongus, anguſtus, viridis, trigonus, inter angulos ſutura inſtructus. Tarde admodum provenit hæc planta, per multos annos ſuperſtes, floret menſibus Januarii & Februarii, ſed non priuſquam aliquot annorum ætatem fuerit conſecuta, flores quatuor menſium ſpatio perdurant. Tota planta in formam cataplasmatis præparata abſceſſus ſine dolore ad maturitatem perducit, in tempore adhibita affluxum humorum impedit. Pulvis cum aceto omnem renum pituitam expellit, ardorem in urinando & gonorrhæa reſtringit, ut & influxu albo mulierum; menſes ſupra modum fluentes ſiſtit.

Kolly Tsierou mau Maravára. Lat.

Malab.

Arab.



KOLLI-TSJEROU-MAU-MARAVARA.

TABULA VI.

QUaſi diceres Belgice *Bladdrager*. Bramannibus *Ambo-tia* vocatur, maſculus quaſi prioris plantæ, a qua non differt, niſi quod nunquam floreat, & folia paulo longiora, latiora & rigidiora ſint; in medicina plane nullum habens uſum.

TAB. 4. 5. 6.

Hæ ſpecies plantæ ſunt peculiares, quare ad ſpecies *Orchidis abortivæ* non facile poſſent referri, nec etiam ad *Sedi* ſpecies pertinent; quapropter aliis iſtud judicium relinquo.

Anantaly Maravara Lat.

അനംതാളി *Malab.*

عَنانْ كطْغلِي *Arab.*

ANANTALI-MARAVARA.

TABULA VII.

PRima planta ſecundi ordinis *Maravara*, etiam ſupra arbores creſcens, ſed tales quæ in arenoſo inveniuntur ſolo, ad altitudinem trium quatuorve exſurgens pedum. *Radices* habet quam plurimas, tenues, albas, curvas, duras, lignoſas, quibus ſeſe corticibus vetuſtiorum affigunt arborum, ſaporis & odoris expertes. *Caules* numero plures & quaſi ſtolones è radice proveniunt, arundinacei, rotundi, virides, cochleatim intorti, geniculati, circulis flavis notati, duabus membranis obducti, quarum exterior nodos geniculorum obtegit, primò viridis, deinde cinereus: interior exteriori parte viridis eſt & nitens, interiori ſanguineo rubra, filamentis albis pertexta. *Caulis* medulla viridi humoreque viſcido repletus, filamentis tenuibus & robuſtioribus ſuffulto, coloris ruffi; ſimplex eſt è radice in rectum excreſcens, ſemper foliis, vel floribus & fructubus inſtructus. *Folia* quæ ſuis pedibus inſtar tubuli concavi caulem inveſtiunt & exornant, oblongo rotunda ſunt, ſine caulibus, antrorſum & retrorſum in acutum deſinentia, ſed anteriori parte acutiora, oris glabra, ſecundum longitudinem coſtis inſtructa & ſtriata, craſſa, rigida, viridi clara, ſucco & medulla viſcida repleta; Odore & ſapore deſtituta. Florum *petiolus*, ſemper foliorum expers, etiam ex radice progerminat, ad altitudinem trium quatuorve pedum, ex quibus gemmæ, geniculi vel annuli & membranæ, proveniunt, aliquando duo ſimul, pluribus parvis gemmulis, rudimentum florum, obducti, qui totum caulem inveſtiunt & eleganter exornant. *Flores* propriis ſuis petiolis ſtriatis ex communi caule plurimi ſimul proveniunt, candicantes, hextapetali, tribus majoribus conſtantes foliolis & tribus anguſtioribus; lingula intus rubra eſt & craſſiola.

ſiola. Gemmæ adhuc clauſæ bifariam reflectuntur ab una parte corniculam, ab altera globulum referentes, aſpectu jucundæ. Florum petala craſſa ſunt & rigida, grati & amœniſſimi odoris. *Fructus* ex petiolis florum proveniunt, trilaterales, in lateribus planis ſutura inſtructi, ita ut quaſi ſexagoni videantur. Semine, colore, ſubſtantia deſtuuntur, illis primi ordinis in omnibus ſimiles. Omnem hæc planta reſpuit culturam; diu ſuperſtes eſt; ſemel quotannis floret circa menſem Junium, flores quinque menſium ſpatio perdurant, quo tempore nec exareſcunt nec decidunt. Florum caulis circa illud tempus avulſus & loco ſicco ſuſpenſus, omnes ſuos profert flores & gemmas, quæ fructubus ad maturitatem perductis decidunt; ita ut nil niſi aëre, ſine ulla alia materia, hæc planta ad progerminationem indigere videatur. Perennis eſt, per radices nempe, è quibus continuo novæ producuntur. Tota hæc planta recens uſurpata, ſuccus imprimis exhibitus, omnis generis ventris dolores & colicam ſiſtit, bilem movet, alvum laxat.

TAB. 7.

Hæc mihi eſt *Orchis abortiva latifolia Malabarica, Clitoride, flore luteo, piloſo.*

Kanspram Marabara. lat.

Malab.

Sonou. bram.

Cymbidium aloifolium

KANSJIRAM-MARAVARA.

TABULA VIII.

BRamannibus dicitur *Sonou;* ſecunda ſpecies ordinis ſecundi ; præſertim ſupra arbobem *Kansjera Maram* creſcit, in cujus fructibus rotundis, depreſſa illa, & in officinis notiſſima ſemina inveniuntur, *Nuces Vomicæ* dicta, quod in deſcriptione iſtius arboris omiſimus. *Radix* craſſa, fungoſa, crinita, carnea, nodoſa, ruffa, muſcoſa, qua ſe corticibus affigit & illis quaſi adhæret, inſtar tuberis enim cum illo unitur. Saporis ſubamari, odoris aquei. *Folia* plura ex nodo radicis proveniunt ad longitudinem duorum triumve pedum, latitudinem duorum digitorum, circa pedes anguſta, ad extremitates latiora, obtuſa, duabus ſuturis inciſa, glabra, nitentia, viridi fuſca, craſſa, ſine coſtis, interiori parte tenui textura, in longitudine filamentis oblongis repleta, ſuccus viſcidus eſt, caro viridis; ſaporis amari, ſine odore. Florum *caules* quam plurimi, ſimplices, indiviſi ex radice proveniunt, nodo vel faſciculo gemmarum inſtructi, quæ in progreſſu ad pollicis latitudinem à ſe invicem diſtant; rotundi, virides, nitentes, hinc inde membrana alba, tenui obtecti, quæ tegumentum gemmarum, nodo adhuc contentarum, fuerunt; intus albi, lignoſi, clara, viſcida aqua repleti, ſaporis amari. *Flores* hextapetali ſunt, multum à ſe invicem differentes, petiolo, ſex lacunis inſtructo inſidentes; petalorum tria oblongo anguſta ſunt, intus egregie rubentia, oris albis, exteriori parte albo & viridi ſtriata, cui ſeſe rubicundus intermiſcet color, anteriori parte in acutum contracta, ſutura extuberante inſtructa; ex adverſo horum petalum invenitur flavum, rubro colore quaſi lineatum, duabus auriculis inflexis. *Stamen* ſanguineo rubrum eſt, tribus rotundis, flavis globulis inſtructum; duo reliqua quæ huic à latere ſunt, non tam longa nec tam acuta

ſunt, criſpata, alba, rubro colore interſtincta. Sine odore vel ſapore. *Fructus* ut illi *Talia Maravara* ſed multo craſſiores, in vertice coronam quaſi diviſam gerentes, virides, intus faſciculis parvis ſeriaceis repleti, in quibus ſemina, pulveris inſtar, includuntur, quæ, ut & fructuum cortex, rubeſcunt. Diverſis arboribus inſidet hæc planta, maxime illi *Caniram* vel *Cansjiram*, ſemper cum hoc diſcrimine, quod in poſteriori, à qua etiam denominatur amara ſit, flores inodori; aſt in aliis arboribus odoris ſint fortis, grati & amœni; bis quot annis floret menſibus nempe Aprili & Octobri, diu ſuperſtes eſt, tardè creſcit, nullis ſacris, nec recreationibus ab incolis conſecratur. In pulverem redacta cum *Zinzibere*, & aqua aſſumpta vomitum excitat & diarrhæam, morbos inveteratos, oculorum caliginem, vertiginem, paralyſin curat.

TAB. 8.

Inter plantas diverſis temporibus nobis ex America allatas, etiam illæ erant, quæ illic loci *Aloë arborea* appellabantur, non quod *arboreſcentes* ſint, ſed quia ſupra arbores invenirentur; hanc quod attinet, vocari poſſet *Aloë affinis Indica ſupra arbores creſcens.*

Pars XII Tab. 9.
Máravara Tsjémbu Lat.
Malab.
Zucalu.
bramin.
Arab.

MARAVARA TSJEMBO.

TABULA IX.

BRamannicè *Roukalou*, tertia ſpecies ſecundi ordinis. *Radix* alba, rotunda, nodoſa, aſpera, ab omni parte fibrillis intricatim diſpoſitis, obſita, intus carnea, pauciſſimis pertexta filamentis, admodum aquea, qui humor aëri, expoſitus ſtatim incraſſeſcit & coagulat, linguam ardens imo vellicans, odoris fortiſſimi, ſaporis ingrati, ad amarum vergentis. *Folia* plura numerò è radice proveniunt, quorum caules longi, extus glabri, virides, nitentes, rotundi, circa pedem rubri ibique linea interna quaſi bipartiti, intus fungoſi, tubulis, medulla aquea repleti, qui humor primo limpidus, craſſus, flavus & rubeus evadit. *Folia* illis arboris *Bupariti* admodum ſimilia ſunt, oblonga, lata, circa caulem viridi diluta, admodum mollia; anteriori parte glabra, viridi fuſca, nitentia; *Coſtæ* altùm eminent, linguam vellicant imo ardent; odoris nullius vel pauciſſimi. Florum *Caules*, eodem modo ut folia ex radice proveniunt, circa principium craſcitiem digiti adæquantes, in acutum deſinentes, rotundi, ſubruffi, viridi fuſci, geniculis & nodulis obliquis interſtincti, introrſum & extrorſum intorti, in quibus flores faſciatim proveniunt, ordine decuſſato; ipſe caulis admodum aqueus eſt, ſed non ita ardens, ſine odore. *Flores* calices ſunt albi, piriformes, ſine petiolo cauli annexi, ubi ſe aperiunt decem vel duodecim ſubtilia, candidiſſima, rotunda conſpiciuntur filamenta, penicilli inſtar; roſas diceres vel ſtellulas, odoris expertes, ſaporis aliquo modo acris. *Semen* à ſubtiliſſimo pulvere non diſtinguitur, coloris ruffi. Toto anno foliis & floribus inſtructa eſt, hæc planta, per multos annos in radice ſuperſtes. *Radix* cum *Manjella* vel *Curcuma* & oleo *Nucis Indicæ* in formam unguenti redacta, herpem omneſque inveteratas ſcabiei ſpecies ſanat.

Suc-

Succus cum vaccæ urina hauſtus, omnis generis venenum expellit, præcipue autem ſerpentis *Marapentho*, belgice den *Verrotter* dicti, qui alias incurabilis. Si quis ab hoc ſerpente ictus per antidota ſuperſit & non ſtatim moriatur, corpus tamen putredine afficitur, ita ut quotidie fruſta ex illo decidant, & ſic miſerrima morte pereat æger.

TAB. 9.

Folia hujus plantæ externa facie illis *Colocaſiæ*, vel *Ari Ægyptiaci* ſimilia ſunt, ſed pro conſpecie illius haberi non poteſt, flos enim & ſemina non conveniunt.

Patitsjevi Maravara. Lat.

പടിച്ചെവി. *Malab.*

Suna Sjiba

सुणाजीवा. *Bram.*

پطّي چهّوي. *Arab.*

PATITSJIVI MARAVARA.

TABULA X.

Lingua Bramannum *Souna-Sjiba.* Quinta ſpecies ſecundi ordinis. *Radices*, parvæ, ruffæ, duræ, fibroſæ, ſaporis aquei, odoris muſcoſi. *Folia* plura ſimul è radice proveniunt: quorum caules longi, rotundi, firmi, lignoſi, nigri, nitentes, hinc inde lana floccida, candida, veſtiti; ubi primò progerminant, in totum illi obducti, quæ poſtea perit; folia juniora formam harpaginis referunt, viridia, lana candida tecti, deinde fuſceſcunt, oblonga, tenera, glabra, in acutum deſinentia, circa pedem ut illa *Poe-Paretti* duobus circulis inciſa, dura, nitentia, ſine coſtis vel venis conſpicuis; cauli videntur affixa, non inſerta. Nunquam floret, diu ſuperſtes eſt. Folia toto anno decidunt & de novo proveniunt. *Succus* radicis cum pulvere dentis *Tigris*, dolorem ex morſu ſerpentum & ſcorpionum ſedat, illorumque venenum tollit, fluxum ſanginis narium ſiſtit, ſanguinem ex caſu vel ictu, in corpore coagulatum, attenuat & diſcutit.

TAB. 10.

Non dubitarem quin hæc planta ſit ex genere Phillitidis; ſed illud mihi non certo conſtat, meo judicio appellari poſſet *Phillitidi affinis Indica, foliis Ari.*

Polypodium querci fol

Panna-kelengo Maravara lat.

വ ന ൻ ക ലം Malab.

Kadekou. bram.

PANNA-KELENGO-MARAVARA.

TABULA XI.

P*Anna* commune nomen eſt omnium illarum plantarum, quæ cum *Filice* arborea aliquo modo conveniunt. Plures hujus plantæ ſunt ſpecies, hæ autem cognomine *Maravaræ* indicatæ, à Botanicis Malabarienſibus ſeorſim tractantur, & inter arborum venena recenſentur, quanquam reliqua genera cum hiſce maximam habeant convenientiam. Noſtra hæc à Bramannibus *Kadehou* appellatur; belgicè *Wortel Varen*, *Kelengou* enim radicem dicit; quarta ſpecies eſt ſecundi ordinis. *Radix* rotunda, longa; craſſa, exterius fuſca & muſcoſa lanugine obſeſſa, qua ſe arboribus affigit; interius flava, carnea, denſa, ſine filamentis vel nervis, paſtinacum inſtar, non lignoſa, flectitur at non facile frangitur; humor aqueus eſt non mucaginoſus, ſaporis amari, odoris gravis. *Folia* plurima numero è radice proveniunt; cancellatim fuſcis & pene nigris venis pertexta, admodum rigida, vitri inſtar, nullo modo flexibilia, primo viridia, exinde ruffo-fuſca, admodum nitentia, circa radicem, duabus eminentibus ſubrotundis auriculis, criſpata, lata, in acutum, apice ſpinoſo, pedetentim deſinentia; humoris pene expertia, ſerratim inciſa. *Coſta* media in adverſa parte eminet. Præter hæc diverſi è radice protruduntur caules, ad altitudinem duorum cubitorum, conſtantes ex nitente, fuſca, dura, ſemicirculata & inflexibili coſta, utrimque foliis alata; cum prioribus in omnibus conveniunt, ſed dimidio longiora ſunt. Nec floret, nec fructus fert hæc planta, ſemper virens, per multos annos ſuperſtes; circa tempus pluvioſum, quam maxime progerminat, imo toto anno; radices vetuſtiores, funis inſtar arbores obvolvunt; folia vix pereunt; ab omnibus inſectis immunia. Tota hæc planta, ſi quando ſupra arbores *Cansjiram* inveniatur, etiam eaſdem habet vires; ſi ſupra *Nucum Indicæ*; aphtas nigricantes

cu-

cura; ſi ſupra *Alou*, omnem ardorem viſcerum refrigerat; cum *Sandalo* & lacte mulierum poſt aures applicata, oculorum fluxum & caliginem abigit.

TAB. II.

Nullus dubito quin hæc planta ſit ſpecies *Polypodii. Doctiſſ. Dom. Breynius Centur.* 1, adhuc alias *Polypodii Indici* ſpecies recenſet; ſed cum hujus foliis minimè convenientes; hæc à me vocatur *Polypodium Indicum foliis latiſſimis.*


Welli-panna-kelengu. Lat.
Malab.
Ar.

Weli panna Kelengou maravara Lat.

വെളിപന്ന *Malab.*

ويلي پنا *Arab.*



WELLI-PANNA-KELENGU-MARAVARA.

TABULA XII. & XIII.

QUaſi diceres Belgice *Groot-Wortel-Panna*; *Welli* enim *magnum* ſignificat; à Bramanibus *Kadehou-Maa* vocatur. *Radix* longa, craſſa, ſubrotunda, nodoſa, aſpera, caſtaneo fuſca, rigida, lignoſa, intus cinerea, filamentis nigricantibus, fortioribus, nervoſis pertexta, ſucco albo, limpido, mucaginoſo repleta; odor gravis eſt injucundus, limoſus; ſapor amarus, adſtringens, & ſummopere ardens. *Caules* tres quatuorve ſimul ex extremitatibus radicis proveniunt, ad altitudinem octo vel novem pedes exſurgentes, indiviſi, illis *Nucis Indicæ* ſimiles; exteriori parte ſpinoſi, fuſci, nitentes, admodum duri, interiori multis filamentis in longitudinem ſuffulti. *Folia* oris non ſerratis magno numero ex caule proveniunt, cui, mediante coſta rigidiori, ordine decuſſato, ſunt affixa; tres digitos lata, viridi clara, rigida, duas ſpithamas longa, alatim expanſa, ſiccata diu durant etiam in aperto aëre; ad amarum vergunt; odor muſcoſus eſt. *Flores* nec *fructus* unquam viſui objiciuntur; ſed vetuſtior facta planta, ex adverſo foliorum lanugo quædam ruffa invenitur, pulvere repleta; qui ſeminis locum ſupplet. Incolæ ex ramis hujus plantæ, ſepimenta hortorum & agrorum conficiunt. *Succus* radicis vermes enecat, bilem ſiſtit & temperat. *Folia* in pulverem redacta cum *melle* aſſumta ſecundinas, menſes, imo fœtum ipſum fortiter ejiciunt; mulieres ergo cavete vobis.

TAB. 12. 13.

Clariſſimus D°. *Breynius*, *Centur.* 1. *Cap.* 96. mentionem hujusmodi plantæ, forte ipſiſſima eſt; ab illo vocatur *Filix non ramoſa*, *foliis integris*, *non ſerratis maxima Indiæ Orientalis*; eandemque à *Bontio* ſub nomine *Phyllitidis* eſſe deſcriptam.

Lycopodium phlegmar

Táma Poulpaalsjā maravara lat.

[illegible]. *Malab.*

Bendarli.

बेदपली . *bramin.*

[illegible] . *Arab.*



TAMA-POVEL-PAATSJA-MARAVARA.

VEL

ENEADI-KOVRENGO.

TABULA XIV.

UNdecima ſpecies ſecundi ordinis; Bramannicè *Bendarly*; admirabilis cognominatur, hoc enim dicit *Tama-Pouel.* Chriſtiani montis *S. Thomæ* vocant illam *Flagellum S. Thomæ*; Luſitani *Couda de S*.^{to}. *Franciſco.* *Radix* è multis conſtat tenuibus filamentis fibriſque curvis, lignoſis; exteriori parte flavis, interiori pallidis, aliquantulum glutinoſis, odoris fortis, non injucundi; ſaporis ſubſalſi. *Caulis* ſimplex è radice progerminat, ad altitudinem duorum circiter pedum, ubi ſe bifariam dividit, rurſumque ad illam altitudinem exſurgit, ſicque tertiò, quartò, quintò & ſextò; ramuli ubique ejuſdem ſunt longitudinis, exactiſſime flagellum referentes. Ipſe caulis octo coſtis profunde ſtriatus eſt, rotundus, albus & viridis, vetuſtior ruffus; plurimis albis nervis inſtructus, intenſe cum ſuis ramulis erectus, aſpectu jucundus. Odoris & ſaporis pene expers. *Folia* parva ſunt, concavo reflexa, apicibus deorſum vergentibus, illorum cauliculi parvi ſunt, in adverſa parte ſeſe exporrigentes, ubi folia aliquo modo convexa, interiorem formam concavam faciunt, ſine nervis vel venulis conſpicuis; de cætero viridiclara, glabra, nitentia, denſa, admodum rigida, humore parum mucaginoſo, modice repleta; totam plantam ambiunt, coſtis caulis affixa, ita quidem ut quatuor folia in uno circulo, ſibi invicem ex adverſo opponantur, ac intra unumquodque illorum ſpatium relinquatur vacuum; quò ſequentia commodum haberent locum, pedetentim minora evadunt; uſque ad quintam & ſextam diviſionem, ubi foliorum formam amittunt, ſquammis non abſimilia, quibus ramulorum extremitates in totum

ob-

obteguntur; florum locum ſupplent, coloris viridi flavi, ſub quibus ruffus invenitur pulvis, tum temporis, quando planta jam inverata, ſicca & ruffa facta eſt. Pes caulis à radice oblongis, acuminatis, anguſtis obtegitur foliolis, ad altitudinem minime digiti; unde folia ordine initium habent. Saporis aquei ſunt, aliquo modo ad ſubſalſum vergentis. Odorem, ſi referant, fæni exſiccati referrent. Multum temporis requiritur, antequam juſtam acceperit magnitudinem, per plures annos excreſcens. Etiam diu ſuperſtes eſt vel ſupra arbores, vel inde deſumta; ita ut nulla pene mutatio in illa vel hyeme vel æſtate, vel tempore pluvioſo vel ſicco, multò minus vel flores vel fructus videantur. Arbores quibus plerumque inſidet ſunt *Mau*, *Jaca* & *Alou*. *Radix* trita lacte permixta, jejunoque ſtomacho epota, nauſeam ventriculi ſiſtit, menſes promovet, pulmones & lien emollit, hydropiſin curat. Tota planta aquæ incocta & lacte *Nucis Indicæ* permixta dyſenteriæ medetur; veneno reſiſtit; cum Saccharo Arboris *Kavi* vel *Karimpanna*, generationem adjuvat tam in viris quam in fœminis, imo & fœcunditatem promovet. Nota. Arbor hæc *Karim-Panna* vel *Palmeira Brava*, *prima Parte Tab. IX. pag. XI.* deſcripta, non eſt illa arbor, quæ ab incolis Cylanenſibus *Talas Gas*, vel *Talagaha* nominatur, ut doctiſſimus D°. *Arnoldus Syen* piæ memoriæ, ex aliquali foliorum convenientia judicavit. Præter haſce ſalutiferas vires, quæ multæ & revera egregiæ ſunt; incolæ adhuc alias illi adſcribunt, quæ extra rationem & ridiculæ videntur. Nugis non delector, adeoque illas enarrare non lubet, nec ex parte nec omnes; omnium loco ſit ſequens hæc narratio. Firmiter perſuaſi ſunt incolæ, ut ſi duobus hominibus ramus cum priori diviſione detur, atque ille ita laceretur, ut quiſque juſtam dimidiatam partem retineat, ſudore humectet, & continuo penes ſe calefaciat; illi veſano quaſi amore erga ſe invicem ferantur; ſed ſi alter illorum partem ſuam amittat vel à ſe deponat, amorem quidem ſuum ſervet, ab altero tamen ita odio, & quidem tanta cum averſione habeatur, ut ipſum

vel

vel videre, vel de illo cogitare non ſine tædio poſſit; uſquedum & alter etiam ſuam depoſuerit partem; quo facto uterque in integrum reſtituatur. Nec ad hoc ſolum ſed etiam ad libidines venereas excitandas & incitandas adhibetur; imo inter perſonas ejuſdem ſexus, quo amicitia inter illos perpetua fiat; extenditque ſe hoc myſterium eo uſque, ut non vereantur herbam hanc clanculum inſuere veſtibus, calceis & armillis illorum vel illarum, quorum amicitiam ſibi velint vendicare. Præterea ab illis habetur pro clypeo, contra omnis generis faſcinationes, incantationes, exſecrationes, atque omnibus bene fore, modo ſecundum regulas ab illis præſcriptas adhibeatur; ſed illæ tot cavillationibus, obſervationibus & determinationibus ſunt implicitæ, ut merito à ſapientioribus deteſtentur & repudientur. Quæ quamvis fabuloſa ſint & incerta, hoc tamen verum eſt, plantam eſſe omnino præſtantiſſimam, cujus virtutes excellentiſſimas & efficaciſſimas ex aſſe deſcribere, majorem requireret paginam. Doctiſſimus atque excellentiſſimus D°. *Paulus Herman*, Medicinæ Doctor, jam vero, Lugduni Batavorum Botanices Profeſſor celeberrimus, obnixe à me petiit ut illam, cum in Inſula Ceylone degeret, transmitterem, ſed licet totæ regiones & illarum incolæ, ex auctoritate principum illorum, mihi ad manum eſſent, nunquam tamen illam potui conſequi; ſed jam ad iter accinctus, transmiſſa mihi eſt per celeberrimum Dom. *Alexandrum* iſtius regionis indigenam, Archiepiſcopum Montis & Chriſtianorum Sancti *Thomæ* in inſula Malabarienſi.

TAB. 14.

Multi diverſique docti viri, quaſi admiratione rapti fuerunt ſuper hujus plantæ figuram & virtutes, miraculum enim magni & nunquam ſatis laudati videtur creatoris. Expertiſſimus, perdoctiſſimuſque D°. *Breinius*, *Centur.* 1. *Cap.* 92. illam deſcripſit nomine *Selaginis Indiæ Orientalis*; ſive *Plegmariæ admirabilis Ceylanicæ*. Noſtri autoris deſcriptio prolixior eſt, viventem enim illam viderat, ſed *Breynii* delineatio multo accuratior.

Diplazium malabaricum

Para-panna Maravara. lat.

പരപന്ന Malab.

پَرَپَنَّا Arab.

PARA-PANNA-MARAVARA.

TABULA XV.

QUaſi diceres *ramoſa*, *Paraa* enim ramum ſignificat; nona ſpecies ſecundi ordinis; Bramannice *Boſaya*, æque ſupra terram ac arbores creſcit. *Radix* fuſco ruffa, rotunda, geniculata; piloſis veſtita, fibrillis, pollicem craſſa, interiori parte rubra, carne denſa, fuſcis nervulis pertexta, humore viſcido repleta; ſubamara, aſtringens, odoris gravis & muſcoſi. *Caules* numero plures è geniculis proveniunt ut illi ſpecierum *Valliæ*, belgice *Kruipers*; formæ & figuræ ut illi *Kari-Welli-Pannæ*, ſed non tam altè exſurgentes; viridi clari, ſuccoſi. *Folia* etiam ut illa *Kari-Welli-Pannæ*, excepto quod non tam profunde ſint inciſa, neque etiam tam rotunda; ſed in hoc differunt, illa quaſi rotunda pomula gerunt, hæc rugoſis tantum, fuſcis, obliquis lineis (illorum ſemina) obducuntur; ſine ſenſibili odore vel ſapore, aliquo modo tamen gravi & injucundo. Nec flores habet nec fructus, præter fuſcam illam hirſutiem, quæ exſiccata, pulveris inſtar avolat, & ſupra arbores incidens, novam plantam producens, ſicque ſuum genus conſervans. Non tam diu ſuperſtes eſt, hæc planta ut quidem reliquæ, biennio enim vel ad ſummum triennio radices interiunt, & facillimè exſiccantur. Adverſus morbos adhibetur endemios, febres intermittentes curat; tuſſim ſedat, alvum laxat. *Succus* cum ſanguine gallinæ permixtus ardorem expulvere pyrio & ferventi oleo contractum refrigerat.

Aspidium

Kal-panna-maravara lat.

കൽപ്പന്ന *Malab.*

قحل پغنغ. *Arab.*

KAL-PANNA-MARAVARA.

TABULA XVI.

BRamannes dicunt *Alpam*; etiam ſupra arbores creſcens, ſed in ſolo petroſo, unde & nomen conſecuta eſt; *Kal* enim petram dicit. *Radix* tenuis, fibroſa, piloſa, nigra, denſa, nervoſa, intus cinerea, odoris fortis; ſaporis aliquo modo ſubamari. *Caulis* ſimplex è radice exſurgit, ad altitudinem pedis, in multos ſe dividens ramos, viridi clarus, depreſſus, anguloſus, laciniis ab una parte ſtriatus, intus aqueus, hinc inde pilis obſeſſus. *Folia* mutantur in ramos; coſta enim folium conſtituens, ſe longius exporrigens, unaquæque inciſio in privatum folium, folium vero in ramulos excreſcit; qui iterum multa producunt folia, oblonga, anteriori parte obtuſa, tribus quatuorve punctis rotundiolis profunde inciſa, unumquodque punctum nervulo coſtæ mediæ infigitur, rami & folia communi cauli ſunt annexa, decuſſatim diſpoſita, glabra, viridi clara; *coſta* media in adverſa parte eminet; in qua plura ſeſe oblonga, ruffo fuſca exhibent ova, ſeminis locum ſupplentia. Admodum tenera eſt hæc planta, umbram amans, annua, è radice de novo progerminans, tempore pluvioſo à menſe Aprili ad Septembrem uſque. Adverſus morbos chronicos, hecticos, tuſſim, diſpnæam adhibetur cum *Para-Panna* & *Kari-Welli-Panna.*

Polypodium

Kári-béli-pánna maravara. Lat.

കരിവെലിപന്ന. *Mal.*

قحاري وبلي بغناء *Arab.*



KARI-WELLI-PANNA-PARAVARA.

TABULA XVII.

Octava ſpecies ſecundi ordinis, ſive *Panna major ſylveſtris*; Belgice *Groote Wilde Panna*, *Kari* enim *ſylveſtrè* dicit; Bramannice *Maa Panaa*; ſupra omnium generum arbores creſcens. *Radix* aquea, nigra, nodoſa, circumquaque fibris fuſcis, capillatis obſita, carne denſa & fragili; odoris & ſaporis pene expers. *Caules* è radice ad altitudinem quinque vel ſex pedum exſurgunt, rigidi, lignoſi, pene quadrati, viridiclari, ab una parte lacinia excavati, interiori parte albo pallidi, humidi, ſimplices, indiviſi, odoris ingrati. *Folia* ut illa *Nella Panna* proveniunt, ſpithamam longa, pollicem lata, acuminata; *coſta* media in adverſa parte parum eminet, inſtar caulis, viridi clara; ab hujus utraque parte foliorum ora, rotundis ſunt inciſa laciniis, ſimilitudinem parvorum foliolorum referentibus; in adverſa parte ſupra coſtulas transverſas, parva, rotunda, fuſca reperiuntur ova, & quidem magno numero, nitidiſſime decuſſatim diſpoſita; præter illa nullos habet vel flores vel fructus; diu ſuperſtes, in totum ſua natura quoad mutationem nempe cum *Nella-Panna-Maravara* conveniens. Tota planta adhibetur in Morbo Endemio, ille eſt languor vel infirmitas membrorum, decoloratio vividi cutis coloris; indigenæ enim non tantum inſtar mortui pallidi ſunt, ſed & flavi, imo ipſa oculorum albedo, diſpnæa & intolerabilibus corporis doloribus continuo ſubjecti, qui ex malignis ventis nocturnis, & irregulari vita cauſantur. Cadavera horum diſſecta, ſemper lien deprehenditur lapidis inſtar induratus.

Pars XII. Tab 18.

Nella panna maravara lat.

Mal.

Ar.

NELLA-PANNA-MARAVARA.

TABULA XVIII.

BRamines dicunt *Pannaa* ſeptima ſpecies ſecundi ordinis; à virtute & viribus nomen habens, quaſi diceres *Panna bona*, *Nella* enim bonum vel ſalutare notat. Creſcit ſupra arbores qui in petroſo inveniuntur ſolo, quare etiam & *Kal-Maram-Panna* nominatur. *Radix* nihil aliud eſt quam maſſa vel faſciculus multarum fibrarum, filamentorum capillarium & radicularum, quæ fuſco nigræ, lignoſæ, alia adhuc muſcoſa hirſutie complicatæ & intricatæ ſunt. Odoris ſunt gravis, ſaporis ſubamari, limpido humore repletæ. *Caules* plures ſimul è radice exſurgunt ad altitudinem trium quatuorve pedum, ſimplices, indiviſi, rotundi, glabri, caſtaneo fuſci, nitentes, rigidi, lignoſi, ab una parte plani, ſed lacinia excavati; adhuc teneri ſummitates circumflectuntur & corrugantur, fuſcoſa lanugine, quæ deinde perit, veſtiti, ſine odore vel ſapore. *Folia* oblongo anguſta ſunt, gradatim utrinque inciſa, in acutum deſinentia, dura, rigida, erecta. *Coſta* folium inæquale dividens in adverſa parte eminet. Sine odore vel ſapore. Per multos annos in radice ſuperſtes eſt, bis quotannis progerminans menſibus nempe Septemb. & Octob. nec florens nec frugens. *Radices* in pulverem redactæ & cum bubuli lacte epotæ, diſenteriam vel teneſmum ſiſtit. *Folia* contuſa cum illorum ſucco aſſumpta, alvum leniter laxant, ſanguinem purgant. Tota planta in formam balnei præparata, & pro inſeſſu, ad umbilicum uſque, uſurpata, mirum in modum partum promovet, pituitam pulmonum attenuat, lienem induratum & obſtructum aperit & emollit, ſi quando ſuccus cum radice arboris Canellæ jejune aſſumatur.

Acrostichum flagelliforme L.

Pars XII Tab. 19.

Pannā Mara-maravara Lat.

പന്ന Malab.

Pannā.

पन्ना Bram.

پنغ Arab.

PANNA-MARA-MARAVARA.

TABULA XIX.

SExta ſpecies ſecundi ordinis; Bramannes dicunt *Thola*; etiam ſupra arbores, loco petroſo diſpoſitas, creſcens. *Radix* ab una parte excurrit, curva, nódoſa, exterius fuſca, interius ruffa, lignoſa, plurimis fibris capilliſque nigris, circa inferiorem partem coriacea hirſutie, cui ſe corticibus arborum affigit, obſeſſa; odoris gravis & ingrati, ſaporis amari. *Caules* plures ex radice proveniunt, ad altitudinem quatuor vel quinque pedum, tenues, glabri, nitentes, intus pallido virides, carne denſa, albis nervulis ſecundum longitudinem pertexti; ab una parte rotundi, ab alia plani, ubi coſta quædam extuberat, in medio & circa oras glabri, ubi duæ foliorum ſeries ſex vel ſeptem numero, decuſſatim videntur, quibus caulis ab utraque parte alis quaſi inſtructus videtur, quæ plumarum inſtar flammearum ſeſe offerunt; vetuſtiores factæ punctis & dentibus exporriguntur, caudam referentes flammeam; rigidæ, flexiles, viridi claræ, ſiccæ, amaræ, odoris gravis & ingrati. *Folia* forma & figura ſunt diverſa, juniora tenuia, parvum digitum longa, duos lata, in acutum deſinentia, poſteriori parte parùm rotundiora, rigida, fuſcoviridia, nitentia, oris glabra, cum coſta in utraque parte eminente; vetuſtiora ſeſe ad ſeſque ſpithamam extendunt, quando margines ſerratim inciduntur, coſtæque altius extuberant. Nec floret nec fruget, per multos annos ſuperſtes, continuo, circa initium temporis pluvioſi, & quidem toto anno, æſtate humida, è radice progerminans. Cum *Saccharo* in ſyrupum redacta, tuſſim, morbum endemium; omnia pulmonum vitia, diſpnæam, morbum lunaticum, phtyſin curat.

Scindapsus pertusus.

Pars XII Tab. 20.

Elitta di maravara lat.

എലിത്തടി. *Malab.*

خهلق طاضحي *Arab.*



Pars XII. Tab. 21.

Elettadi-maravara Lat.

Mal.

Ar.

Soumala bram.



ELLETTADI-MARAVARA.

TABULA XX. & XXI.

S*Oumalla* Bramannes dicunt, duodecima ſpecies ſecundi ordinis. *Radix* ſeſquidigitum craſſa, rotunda, geniculata, caudarum inſtar magnorum, nigrorum agreſtiumque ſcorpionum; alba, viridipallida; intus fungoſa, admodum aquea, hinc inde multis craſſis, curvis carnoſiſque radicibus, ab illa parte ubi alba, obſeſſa, quibus ſe corticibus arborum affigit; inteſtina referentes glabra & nitentia; odoris ſylveſtris & muſcoſi, ſaporis ingrati; adſtringentis. *Folia* plura numero ex radicis extremitate proveniunt, ut illa *Anſeli Maravara*, quorum caules admodum glabri, cavi, virides, nitentes; illis folia inſident ſimplicia, oblongo anguſta, tres pedes longa, duoſque & dimidium lata, viridi clara, fungoſa, glabra, admodum nitentia, ut illa *Ponnam-Pou. Caulis* ab una parte ad ſupremam excurrit. *Coſta* media in adverſa parte eminet; folia inter coſtas profunde ſunt inciſa; multis in locis magnis foraminibus, vel ocellis, veluti feneſtris perforata; decidua, illic loci radicem conſtituunt, geniculis interſtinctam; & illa quoniam in vertice ſemper nova producat folia, quæ iterum folia, illæque iterum novas conſtituant radiculas & hæ continuo rurſum proſerpent, hinc fit ut arbores in totum pene ab hac planta obtegantur. Nec floret nec fruget, per multos annos ſuperſtes, imo pene perennis, arbores pene ſuffocans. Nullius in Medicina uſus.

Pars XII. Tab. 22.
Teka-marabára.
Malab.
Zucá keli.
bramin.
Arab.

THEKA-MARAVARA.

TABULA XXII.

SEcundum Bramannes *Rou-Kakely*; prima ſpecies tertii ordinis; ſic vocata ab arbore *Theka*. *Radix* admodum fibroſa eſt, tenuis, lignoſa, dura, rigida, ruffa, ab una parte faſciæ (qua ſe arboribus affigit) ad aliam, veluti funiculis reticulatim excurrens; ex hac radicis faſcia, nodus progreditur, in principio octo lateralis, ſed major evadens & intumeſcens, quadratus, cujus latera plana ſeſe in medio aliquantulum quaſi coſta extollunt, unde in junioribus nodis octo illa conſtituuntur latera; nodus ipſe oblongo anguſtus eſt, in acutum deſinens, viridis, glaber, nitens, cortice craſſo, viridi, denſa carne repletus, humor viſcoſus eſt, qui nodo disrupto, filamentis extenditur, telæ aranearum inſtar, ſaporis ſubſalſi. *Folium* ex unoquoque nodo, unicum provenit, oblongum, ovale, vertici nodi inſidens, craſſum, lene, glabrum, nitens, ut illud *Ponnam-Pou-Maravara*; limpido & viſcoſo humore repletum, in medio rectæ partis ſutura ſtriatum, textura denſa, rete referens, ſaporis ſubſalſi. Nodus ſi pro fructu habetur, fruget, ſed in fructu nullum reperitur ſemen, nec floret; tamdiu ſuperſtes eſt planta, quamdiu arbor cui inſidet ſupermanet; terræ mandata nequaquam progerminat. Planta cocta & in formam lotus adhibita, omnis generis catharros & gravedines ſanat. In pulverem redacta & ſalſe mixta Hydatides. Cum foliis *Caſſiæ fiſtulæ* vel *Connæ*, *Zingibere* & *Muria* ſupra ignem ſiccata & torrefacta, herpeti medetur, variolis, ſcabiei. Pulvis fructus cum ſtercore glirium circa inferiorem abdominis partem, cum *melle*, oleo *Nucis Indicæ* illitus, urinam brevi tempore promovet. *Succus* nodi auribus inditus, illarum apoſtemationem juvat, ſurditatemque accidentalem abigit.

Tsjerou Tecka maravara, lat.

[illegible] *Malab.*

TJSEROV-TECKA-MARAVARA.

TABULA XXIII.

QUaſi diceres *Theka Maravara minor*; Bramannicè *Bouka-Kely* cum priori in omnibus convenit; excepto quod omnes partes ſint minores, fructus rotundiores. *Folia* in acutum non deſinant ſed in extremitate excaventur, & in duo dividantur. Sapor, odor, vires, uſus idem.

Wellia-Theka-maravara ofte Mau-marabăra. Lat.

Malab.

Tolassi. Bramin.

Arab.

WELLIA-THEKA-MARAVARA
VEL
MAU-MARAVARA.

TABULA XXIV.

QUaſi diceres *Maravara magna*, tertia ſpecies tertii ordinis; Bramannum lingua *Tolaſſi*; *radices* habet plurimas, parvas, tenues, lignoſas, curvas, nigricantes, faſciatim arboribus *Theka* & *Mau* inſidentes, odoris & ſaporis expertes. *Folia* ex radice proveniunt, primò brevia & ſimplicia, ad longitudinem cubiti excreſcunt; in adverſa parte convexa in recta concava, ubi folia glabra, plicas aliquas referunt, quæ penes caulem profunde in puncto folii in nihilum abeunt. *Coſtæ* quatuor vel quinque in adverſa parte altum eminent; concham inſtar illius S. Jacobi in interſtitiis, conficientes. Folium ipſum admodum rigidum eſt, caro denſa, lenta, coriacea, flexu difficile, viridi fuſcum, glabrum, nitens. Quo major evadit eo magis in pede incraſſatur, imo in nodum evadit, qui prius trigonus, exinde glaber eſt & rotundus, ex quo, ſimilitudinem fructus *Thekæ Maravaræ* referente, deinde nova folia, prioribus nempe deciduis, progerminant, ex unoquoque nodo unum non plura; nodi ipſi ex flavo virides ſunt, carnoſi, humore glutinoſo, ſicut & folium, repleti; odor exiguus eſt; ſapor inter ſalſum & acidum, ſed nauſeabundus. Ex cavofoliorum caule, longa, anguſta, plano rotunda, viridis excreſcit ſpica, ſimilitudinem referens parvi ſerpentis, ſquammis, in duas ſeries, obtecta, cujus cauda longa, nuda, glabra, viridis, ab una parte ſutura ſtriata. Sub foliolis illis ſquammoſis *ſemina* concluduntur; intra unamquamque ſquammam unicum, depreſſum, rotundum, viride, cucullula incurvata obtectum, cujus cavitatiti affigitur, cuculla ipſa, brevi pedunculo, cauli; ſpica ad maturitatem perducta, ſquammæ ſeſe elevant, ſemen excidit. Nodi quo vetuſtiores & ma-

majores, eo etiam majores ſunt ſpicæ & ſemen, quod viride humore etiam viſcoſo repletum; ſaporis ſubſalſi. Nec tempus nec ordinem obſervat hæc planta; ſemper progerminans; ad multos annos, modo arbores maneant, ſuperſtes; quæ ad bis & ter centum annos, ut illa genera arborum *Alou* perdurant, ni ab hiſce & aliis *Maravaris* ita opprimantur ut brevi pereant. *Radices* capillares tritæ, & capiti raſo impoſitæ, furorem in febribus ardentibus, imo extra illas, curat, modo in tempore adhibeantur, imo morbum ipſum impediunt. *Nodi* fructus, purgant inveterata & maligna ulcera, aurium dolorem ſiſtunt, non tantum ſed & totius capitis; ſomnum excitant, evaporationes bilioſas expellunt. Plantis pedum applicati, febres intermittentes & illarum ſymptomata tollunt. Tota planta in formam cataplaſmatis redacta, & circa lumbos applicata, partum promovet, menſes & urinam, ſemper aliquid virium illarum retinens arborum quibus inſidet.

Pholidota imbricata.

Pars XII Tab. 25.

Katou-Theka-marabara Lat.

[illegible] Malab.

Tholassi. bramin.

KATHOU-THEKA-MARAVARA.

TABULA XXV.

PErinde eſt ac ſi diceres *Maravara ſylveſtris*, *Kathou Theka* enim *ſylveſtre* dicit; quarta ſpecies tertii ordinis; Bramannes vocant illam *Tholaſſy*. *Radix* flava, aquea, intus alba, filamento fortiori nigricante ſuffulta, fractu difficilis, circumflexa & in longum ſeſe extendens. Ex radice *folia* progerminant ut illa *Wellia-Theka-Maravara*, conformata & diſpoſita ut illa *Thalia Maravara*, excepto quod multo anguſtiora ſint, tenuiora, flexibiliora; de cætero illis *Wellia-Theka* in omnibus ſimilia. Nodi vel bulbi nova quidem producunt folia, nunquam vero flores, fructus vel ſemina. Rariſſime invenitur hæc planta & non niſi in maximis & denſiſſimis ſylvis; arbores quibus inſidet vetuſtiſſimæ ſunt, transplantationem non admittit. Medicis Malabarienſibus ignota eſt, ab illis nunquam viſa; traditione tantùm nota; viderunt tamen, ſed cum ſumma admiratione, cum illam illis exhiberem, mihi à rege *Calicot* ſive *Magno Samoryn* transmiſſam. *Radices* ſiccatæ in foliculis repoſitæ ſerpentes abigunt; in pulverem redactæ & aſſumtæ, veneno reſiſtunt ex morſu canis rabidi contracto, vulnera & omnem illorum malignitatem ſanant; Bulbi per medium diſſecti & aſſati, omnia apoſtemata reſolvunt. Bubulis venenum ſunt, furibundi enim evadunt, ſi de illis comedant.

 Mo. Bot. Garden, 1893

Angraecum carinatum.

Pars XII. Tab 26.

Kátou kaidā maravara Lat.

[illegible] *Malab.*

Boiñ-cadeki.

[illegible] *bramin*

[illegible] *Arab.*

KATOU-KAYDA-MARAVARA.

TABULA XXVI.

QUinta ſpecies tertii ordinis; Bramannicè *Boin-Kakely*; planta eſt quæ æque ſupra arbores quam in terra progerminat. *Radices* longæ, curvæ, tenues, fibroſæ, filamento albo intus inſtructæ, humore viſcido repletæ, ſine notabili odore vel ſapore. Ex hiſce *Bulbus* provenit, pene cum illo *Kathou-Theka* conveniens, viridi-fuſcus, glaber, nitens, in acutum deſinens, hinc inde ſuturis ſtriatus, cujus caro viſcoſa eſt & viridis, fibris lignoſis in longum pertexta, ſine odore, ſaporis ſubſalſi. Bulbus è vertice prolongatur, triaque conſtituit folia longa, enſiformia, tres pedes alta, pollicem lata, viridia, glabra, nitentia, complicata; utraque parte tribus nervis inſtructa, rigida, erecta, fractu facilia, ſucco glutinoſo repleta. *Coſta* media in adverſa parte altum eminet. Inter hæcce folia, è medio bulbi, ſimplex, rotundus, viridis, glaber, nitens, protruditur caulis, arundinis inſtar geniculatus; ex quo *flores* proveniunt; eodem modo, ut illi *Angeli-Maravara* excreſcentes, forma cum illis *Anantaly-Maravara* convenientes, excepto quod petalorum ſextum, majorem habeat cucullulam, & albis capillis inſtructa ſit; flores exteriori parte viridi fuſci ſunt, ad rubrum vergentes, interiori, eximie rubris, albis, viridi admodum claris, purpureiſque venis ſtriati & notati; accuratiſſime maculis flavo albis ornati; circa inferiorem petioli partem, lingula fuſca videtur, poſtea in ſpinam evadens; odoris gratiſſimi. *Fructus* in omnibus cum illo *Angeli-Maravara* convenit; ſic & *ſemen*. Diu ſuperſtes eſt. *Bulbus* bis vel ad ſummum ter flores producit, tum perit, ſed è radicibus de novo progerminat, ſine ullo, vel hyberni vel æſtivi temporis, diſcrimine. *Succus* radicis ſi ſupra arborem *Kansjira* inveniatur amarus eſt, alvum laxat, bilem promovet. *Succus* bulbi & foliorum omnem aduſtionem ex pulvere pyrio, oleo

oleo ferventi, vel igne cauſatam, cum ſanguine canino mixtus, tollit. Pulvis venenum, ſive externum ſive internum expellit. Si ſupra arborem *Java*, vermes inteſtinorum enecat, febri reſiſtit, ventriculum corroborat, flatus diſſipat. *Succus* cum carne totius plantæ in formam cataplasmatis redactus apoſtemata emollit, &, ſine dolore, ad maturitatem perducit.

Microſtylis Rheedii

Baſaala-poulou marabara Lat.

[illegible] . Malab.

Keli.

केळि. bram.

[illegible] Arab.

BASAALA-POULOU-MARAVARA.

TABULA XXVII.

PRoprio nomine *Baſaala-Maravara*; cognomen *Poulou* additur, omnes tales ſignificans plantas, quarum ſemina, granorum inſtar, in ſpicis inveniuntur; Bramannicè *Keli*; tam ſupra arbores petroſo in loco poſitas, quam ſupra petras ipſas creſcens. *Radix* ex multis filamentis & fibris conflatur, alba, intus carneo aqueoque humore repleta, odoris gravis, ſaporis amari. *Caulis* è radice progerminat, ſeſquipedem longus, ab omni parte, foliorum pedibus, circumvolutus, quæ ex ſe invicem proveniunt, ut illa *Thalia-Maravara*; non decuſſatim diſpoſita, ſed giris ſeſe in orbem flectentia, caulem ipſum nunquam detegentia; anguſta, ſpithamam longa, tres digitos lata, ſuperiori & inferiori parte in acutum deſinentia, mollia, lenia, viridi clara, oris glabris, coſtis plicisque ſulcatis; fracta multæ fibræ ad longitudinem cubiti ex illis extrahuntur, telæ aranearum inſtar, humore aqueo inſtructa. Odoris ſylveſtris, ſaporis amari. Inter folia ex radice florum caulis producitur rotundus, viridis, lignoſus, glaber, rigidus, in quo flores faſciatim diſpoſiti videntur; eodem modo ut illi *Angeli-Maravara* provenientes; minutiſſimi ſunt; tam eleganter confecti, ut pro merito nec delineari nec deſcribi poſſint; egregiè miniato rubri, monopetali, petalum ipſum ſoleæ inſtar equinæ circumflexum, cujus ora filamenta ſerica dependentia referunt; in medio orbis è diametro duo ſeſe opponuntur globuli, ſimilitudinem *teſtudinum* cum omnibus illarum partibus repræſentantes; illorum petioli in altum caulis diriguntur, circa pedem foliolo parvo viridi inſtructo; gratiſſimi & amœniſſimi odoris *Fructus* ex florum petiolis producuntur, illis *Angeli-Maravara* in totum ſimiles, excepto quod hi in vertice ampliores ſint, & circa pedem in acutum deſinentes. *Caule* florifero emoriente, è radice novus denuo progerminat, ſole ſupra ipſum

fulgente, ſemper pene florens, idque ſingulis quinque menſibus bis. Sylvas, & loca inculta amat hæc planta, atque ideo non ſine magno labore & difficillime invenitur. Malabarienſes enim nullos medicinales excolunt hortos; ſi quo indigeant medicamento, illud ex ſylvis & agris ſibi comparant. Bilem purgat, antifebrilis eſt; terminos, ſive motus epilepticos infantum, morbillos curat, diaphoretica eſt.

Katou Ponnam-maravara la

KATOU-PONNAM-MARAVARA.

TABULA XXVIII.

QUaſi diceres *Maravara ſylveſtris*, *aurea*; ſeptima ſpecies tertii ordinis; lingua Bramanum *Pon-kely*. *Radices* tenues, breves, fibroſæ, fuſcæ, carnoſæ, ſubflavo, craſſo, lacteoque humore repletæ, ſaporis acris, adſtringentis; odoris non injucundi. Ex radice caulis producitur, primùm unico conſtans folio. *Folia* numero tria ex radice proveniunt, pedibus intra ſe invicem complicatis. Unum illorum parvum eſt; reliqua duo majora & longiora, decuſſatim diſpoſita, in adverſa parte coſtis eminentibus ſecundum longitudinem dotata; in recta glabra, plana, ſuturis notata, coriacea, lenia, viridifuſca, acuta, rigida, flectuntur, ſed non facile franguntur. Inter hæcce *caulis* erumpit floriferus, perinde ac ille *Baſaala*; ſed ſtriatus eſt & angulatus, viridis, rigidus, lignoſus, intus filamentis & nervis lentiſſimis inſtructus. *Flores* eodem modo ut illi *Baſaala* in caule proveniunt, flavo-clari, pentapetali, illorum tria longa, parva, anguſta, duo rotunda, circumflexa, apicem conſtituentia cum procumbente penicillo, illud cavum eſt & circumflexum. Odoris admodum grati. *Fructus* ut illi *Baſaala* ſed pentagoni ſunt. Semel tantum floret hæc planta & interit, menſibus Januarii & Februarii; nunquam è radice de novo progerminans. Solem amat & ſolitudines; deſciſſa & extra ſolem poſita, defloreſcit; ſub ſole reviviſcit, quod rarum & in paucis plantis deprehenditur. *Succus* cum *radice trita*, aduſtionem, Carcinomata, Gangrænam curat. *Succus* foliorum omnem ardorem febrium ſiſtit malignarum; magna efficacia humorem ſuperfluum ex tumefactis manubus, brachiis, pedibus, illic loci pedes *S. Thomæ* dicti, qui ſæpius ita intumeſcunt, ut craſſitiem hominis ſuperent, expellit.

Niphobolus carnosus

Pars XII. Tab 29.

Maretsla-mala maravara. Lat.

. Malab.

Bendarli. Bram.

वोदनलीर

. Arab.

MARETTA-MALA-MARAVARA.

TABULA XXIX.

PRima ſpecies quarti ordinis; Bramannes dicunt *Bendarly;* ſupra arbores initium ſumens, ſeſeque illis circumvolvens. *Radices* admodum tenues ſunt & ſubtiles, brevioribus nigriſque fibrillis, corticibus ſeſe inſinuantes, illæ lignoſæ ſunt, continuo iterum alias protrudentes, viridi claræ, hirſutæ, vetuſtiores nitentes, fuſco ruffæ, membrana, quæ deglubi non poteſt, obtectæ. *Folia* in parvis fuſcisque petiolis, plura numero ex ramulis prodeunt, parva, pyriformia, depreſſa, ab utraque parte glabra, viridia, nitentia, craſſa; carnoſa; juniora hirſuta, intus viridia & humida, ita ut fracta aquarum guttæ per corticem exſudent; formam margaritarum depreſſarum referentia. Saporis aquei, ſalſi, acidi. *Fructus* in ramulis, quibus folia affiguntur, proveniunt; juli ſunt oblongo anguſti, plano depreſſi, circa ſuperiorem partem plani & glabri, parva ſutura in longitudinem ſtriati, viridi nitentes, circa inferiorem reflexis oris, in ipſa cavitate, ſeriaceis albiſque membranulis inſtructi, quæ poſtea ruffeſcit, in pulverem mutatur, & ſemen exhibet; ſaporis ſubſalſi, odoris gravis & fungoſi. Semper folia profert & fructus, ſine ullo temporis diſcrimine, ſemel arbori affixa, nunquam deſerit, cum illa vel vivens vel moriens. *Succus* foliorum cum aqua juniorum Nucum Indicæ permixtus, dentes firmat, intumeſcentiam gingivarum tollit. In morbillis cum fructu adhibetur, citiſſimè illos producens. Cum planta *Tandela Kotti*, omnes affectus venereos ſanat.

Pars XII Tab 30.

Valli vara Kody maravara Lat.

വള്ളി വരകൊടി *Malab.*

Gagana. bramin.

واللي واضحا فحا ضحر *Arab*

VALLI-VARA KODY-MARAVARA.

TABULA XXX.

SEcunda ſpecies quarti ordinis, quaſi diceres *Hedera arborea venenata. Valli* enim *hedera, Vara* venenum, *Kody* talis planta eſt, quæ ligationi, funum inſtar, apta deprehenditur. *Radices* fuſco ruffæ ſunt, rigidæ, ligneæ, ſaporis ſubamari. *Rami* cinereo virides, hinc inde nodoſi, cortice tenui, interiori parte albi, denſi, lenti, ligno duriori, qui funis inſtar flectitur & ligaturæ inſervit. *Folia* ab utraque parte ramulorum ſine ordine videntur, ſpithamam longa, ſine caule; lenia, flexibilia, viridiclara, in adverſa fuſciora, coſta, in adverſa parte eminente, inſtructa. Circa pedes foliorum *fructus* proveniunt haſtiformes, manubrio glabro, viridi inſtructi, de cætero rotundi, hirſuti, coriacei, pulvere, ſive ſemine ruffo in adverſa parte obducti. Diu ſuperſtes eſt hæc planta ſemper foliis & fructubus ornata. *Folia* cum illis *Avanaco* calce trita in totum antipodagricum medicamentum conficiunt, in formam cataplaſmatis redacta & applicata.

Aspidium splendens

Árana-pánna. Lat.

ആരണപന്ന. Malab.

عَرَنَاءْ پَنّا. Arab.



ARANA-PANNA.

TABULA XXXI.

C*Aules* ex radice ſimplices exſurgunt, rotundi, interius lato ſulco profundè ſtriati, rigidi, lignoſi, ſpadiceo rubri. *Folia* in duabus ſeriebus geminata proveniunt, illorum pedunculi breviſſimi; de cætero oblongo anguſta, in cuſpidem deſinentia, in oris angulis rotundis exciſa, rigida, viroris vividi ac nitentis, maximè in adverſa parte ubi *coſta* eminet, in adverſa duæ ovorum ſeries extuberant, quæ rotunda, croceo fuſca, rubra, oram folii circumcingunt & in recta parte veſtigia ac notas inprimunt, aſpectui jucunda. In medicina nullum habet uſum.

Lygodium

Pars XII. Tab. 32.

Valli-panna Lat.

വള്ളിപന്ന. Malab.

وعلي پعنع. Arab.

VALLI-PANNA.

TABULA XXXII.

NAſcitur in petroſis, frutices ſcandens. *Caules* tenues & lignoſi. *Folia* in petiolis, qui ex brevioribus caulium tuberculis geminati erumpunt, terna proveniunt oblongo-anguſta, cuſpidata, tenuiſſima, lenia, viroris in recta parte vividi, in adverſa dilutioris. *Coſta* media utrinque eminent, ex illa venæ ſubtiliſſimæ ac condenſæ, oblique in oram ipſam excurrunt, ibique minutiſſimis crenulis inciſæ. Nec floret nec fruget. *Folia* in *vaccino* lacte trita venenum abdominis præcordia & viſcera urens expellunt.

Tsjéru-válli-pánna warapoly. Lat.

ചെറുവള്ളി പന്ന Mal.

چهرو واللي پعنّا Arab.



TSJERU-VALLI-PANNA.

VEL

WARAPOLI.

TABULA XXXIII.

P*Anna* ſpecies eſt, maxime cum illa conveniens, cujus folia apicibus ſunt oblongis: ſed hæc minora, æquabili ora ſine apicibus Ignoti uſus.

Tſjeria Valli-pánna. lat.

ചെറിയ വള്ളി പന്ന *Malab.*

وَالِيْ پَنَّا *. Arab.*

TSJERU-VALLI-PANNA. Altera.

TABULA XXXIV.

ETiam *Panna* ſpecies, arbores ſcandens, ſolo gaudens arenoſo. *Caules* tenues, lignoſi, rotundi, virides. *Folia* in ſurculis tenuibus, rotundis, lignoſis, qui ex adverſo caulium geminati erumpunt; plura congregatim, ac in duabus ſeriebus proveniunt, oblongo anguſta, cuſpidata, tenuia, plana, in oris apicibus oblongis, craſſiuſculis eminentia; viroris in recta parte ſaturi, in adverſa dilutioris. Saporis & odoris expertia. *Coſta* media in utraque parte extuberat. *Floribus* & *ſeminibus* deſtituitur; nec ullius in medicina uſus.

Lomaria scanden

Pars XII. Tab. 35.

Pánna-Válli Lat.

പന്നവള്ളി Malab.

يعنق واللحب .. Arab.

PANNA-VALLI.

TABULA XXXV.

COnvolvulus naſcens in arenoſis, undique *radiculis* fibroſis, nigricantibus vel ſupra terram repens, vel arboribus ſeſe affigens; *caules* tortuoſi ſunt, rotundioli, viridi fuſco ac craſſo cortice, filamentis lignoſis pertexti. *Folia* in cauliculis proveniunt planis, plana & glabra, exteriora verſus inflexa, viroris in recta parte fuſci & valde nitentis, circa oras albicante limbulo, ac cuſpidibus acutis, rigidis, anteriora verſus reflexis, munita. *Coſta* media utrinque altum eminet. Nec floret nec fruget. *Succus* cum oleo *Sergelim*, *Zinzibere* ac *Pipere* longo permixtus, capitique illitus, cephalalgiam bilioſam emendat & abigit.

36. *Hottonia indica*
(Hydropityon pedunculatum) DC. prodr. X. 422

38. *Scirpus squarrosus.*

Tsjadaen-tsjira. Lat.

[illegible] . *Malab.*

Amuli.

आवुली *bramin.*

جياضحهيهن جيراه *Ar.*

Tab. 38.

Tab. 37.

Mótta-pullū Lat.

[illegible] . *Malab.*

مُطّحاَ يُولحُو . *Arab.*

Puem-pedà. Lat.

[illegible] . *Mal.*

يُوهن بحوضحا . *Arab.*

TSJUDAN-TSJERA.

TABULA XXXVI.

PLantula naſcens in arenoſis & ſudo ſolo. *Radix* fibroſa, albicans. *Cauliculi*, qui ex radice plures exſurgunt, ſimplices, rotundi, aqueo albicantes, tortuoſi, geniculis ordine interſtincti, internodiis ad apicem contractioribus. *Folia* anguſtiſſima, *fœniculi* inſtar diſſecta, in geniculis verticillatim cincta, viroris in recta parte ſaturi ac levi nitoris, in adverſa dilutioris. *Flores* hinc inde ſolitarii, ex origine foliorum, in geniculis, pedunculis oblongis, tenuibus, rotundis, ac nonnihil ex viridirubeſcentibus, prodeunt, tetrapetali, ſurrecti, cuſpidati, candidi, exteriora verſus reflexi, collulo oblongo, viridi, in medio, in colli orificio, lanugine flava obſiti. *Staminula* in illis duo, apicibus rotundiolis, candidis; *ſtylus* in medio apparet. Florum *gemmæ* conicæ. *Calyx* ex quatuor conſtat ſurrectis, anguſtis, cuſpidatis foliolis. Tota planta odoris eſt ſubacris & grati. *Flores* cum *Gingibere* & *Cardamomo* in ſero *lactis* potiunculam antidyſentericam ſuppeditant.

PUEM-PEDA.

TABULA XXXVII.

NAſcitur in petroſis. *Cauliculi*, qui radiculis ſuis ſeſe affigunt, & plures conjuncti naſcuntur, foliolis veſtiuntur brevibus, viridibus, denſis; ſuper hoſce ſurrecti, tenuiſſimi, purpureo rubeſcentes, rigidiuſculi emicant *cauliculi*, in vertice cuſpidatis, ruffis *gemmulis* inſtructi, cum cuſpide verſus pedem cauliculorum inflexis, quæ ſiccæ non niſi flavum continent pollinem. Unguis pollicis dextri pedis, hujus plantulæ *ſucco* illitus, cataractam ſiniſtri oculi depellere creditur, & vice verſa.

MOTTA-PULLU.

TABULA XXXVIII.

HUmillima plantula naſcens in arenoſis. *Radices* tenues, albicantes, ac etiam rubeſcentes. *Caules* tenues, rotundi, virides, gramineis anguſtis foliolis veſtiti. Singulis caulibus, infra corticem, transverſæ inſident *ſpicæ*, numero tres vel quatuor, unico foliolo gramineo, brevi ſuccinctæ, oblongæ, rotundæ, numeroſis brevibus filamentis, penicilli inſtar, dotatæ, ex parte ſpadiceo-fuſco-rubræ, ex parte virides, maxime in vertice. Integra planta in aqua *Orizæ* & oleo *Marotti*, & virente *Curcuma*, vel etiam in oleo *Nucis Indicæ* & *Cumino Pipereque* longo decocta, linimentum præſtat adverſus morbum hepaticum, vitiligine & ſpeciatim Alpho comitatum.

AVENKA.

TABULA XXXIX.

PLantula ad altitudinem cubiti naſcens in arenoſis. *Caules* ex *radice* lignoſa & fibroſa, plures exſurgunt ſimplices, tenues, lignoſi, duri, rigidi, rotundioli, ſpadiceo nigricantes, glabri & nitentes. *Folia* in ſuperiori parte caulium in duabus proveniunt ſeriebus, quorum petioli tenuiſſimi, ſurrecti, ſpadiceo nigricantes, nitentes; lata ſunt, anterius ora convexa, cauli obverſa, tenuia, lenia, mollia, venis ſtriata. Nullius vel ſaporis vel odoris. Nec floret nec fruget, neque ullius in medicina eſt uſus.

Adiantum lunulatu

Auenka. Lat.

ഫാവെങ്ക. *malab.*

Supuli

सुपुली. *bramin.*

[illegible]. *Arab.*

BELLAN-PATSJA.

TABULA XL.

FRutex eſt dilute viridis, hirta mollitie veſtitus. *Cortex* ſubacutis, capillaribus & virididilutis foliolis, ramuſculis adhærentibus, undiquaque cinctus; arenoſo humidoque gaudet ſolo.

Tsjáma-pullu. lat.

ചാമപ്പുല്ല . *Malab.*

Tána.

तण . *bramin.*

جهنج پولا *Arab.*



TSJAMA-PULLU.

TABULA XLI.

PLanta naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* rotundi, glabri, virides, geniculati, foliis gramineis veſtiti. *Spicæ* vertici caulium in petiolis viridibus inſident, virides, complanatæ, ex pluribus, minutis foliolis imbricatim conformatæ; vetuſtiores fuſce purpureæ. *Semina* in illis continentur arenacea. Ignoti uſus.


Pars XII Tab 42.
Wára-pullu. lat.
Malab.
Pena.
bramin.
Arab.

WARA-PULLU.

TABULA XLII.

IUncus eſt in irriguo naſcens ſolo. *Caules* glabri, triangulati, angulis parum obtuſis, intus albicante, fiſtuloſa medulla inſtructi. *Radix* albicans eſt, fibroſa, pedibus foliorum veſtita, exterius ex rubro ruffeſcens, carne aquea cum corculo albo. *Folia* oblongo-anguſta, cuſpidata, venis in longum ſtriata. *Spicæ*, in vertice caulium, foliis oblongis ſuccinctæ prodeunt, in duabus ſeriebus diſtinctæ, petiolis transverſim inſidentes, oblongæ, planæ, compreſſæ, anguſtæ, viridi flaveſcentes. Intra ſingularum ſpicarum folia, imbricatim ſe mutuo obtegentia, *ſemina* continentur. *Succus* cum *Nuce Moſchata* permixtus ventris dolores, Malabaricè *Rama Cua* & *Sura* dictos, mirum in modum ſiſtit & emollit.

Andropogon

Scirpus corymbosus. 7

Pars XII. Tab. 43.

Kudirà-pullù Lat.

Malab.

Tána.

bramin.

Arab.

KUDIRA-PULLU.

TABULA XLIII.

PLanta eſt quolibet gaudens ſolo. *Radix* convolvuli inſtar ſupra terram repit, fibris albicantibus, lignoſis illi ſe affigens. *Caules* lignoſi ſunt, tortuoſi, viridi flaveſcentes, nitentes, gemmulis quaſi interſtincti, in geniculis aſperi, maxime cum verſus inferiora ſtringuntur; ſuperna parte, qua ſurrecti, virides & *foliis* veſtiti; illa oblongo anguſta ſunt, in cuſpidem deſinentia, graminiformia, in oris, manibus adhærentia. In vertice caulium *ſpicæ*, filamentis tenuibus, rubeſcentibus, quaternæ ſimul proveniunt, cuſpidatæ, rubeſcentes, inferius in exteriori parte a caule averſæ, *plumulas* duas emittentes argenteas, candicantes, & cum illis *apices* grandiuſculos albicantes, qui in tenuiſſimis ſtamunculis penduli nutant. Extra uſum in Medicina.

Paſpalum ſcrobiculatum? …

Pars XII Tab. 44.

Téreta-pullú. Lat.

Malab.

Arab.



TERETA-PULLU.

TABULA XLIV.

NAſcirur in arenoſis, repens & terræ ſe affigens. *Caules* geniculati, rotundi, virides, glabri, *foliis* oblongis, anguſtis, cuſpidatis, viridibus in geniculis veſtiti. In vertice caulium ſpicati & geminati prodeunt petioli; *ſpicæ* in duabus ſeriebus ſunt conſitæ, rotundæ, parum cuſpidatæ, duræ, albicantes. Nullius in medicina uſus.

Festuca indica.

Tsjáma pullū Lat.

ചാമപ്പുല്ല്. *Mal.*

بشياما پوللحو *Arab.*

TSJAMA-PULLU.

TABULA XLV.

PLanta arenoſo gaudens ſolo. *Caules* rotundi, oblongi, tenues, intus tubulo pervii, glabri, virides, geniculati, in geniculis extuberantes, pedibus foliorum oblongis, anguſtis, gramineis veſtiti, quæ inferiori pede articulos inſtar involucri includunt, rigida, proximè ad caulem pilis albicantibus in interiori latere barbata. In vertice caulium petioli breves, ſpicati prodeunt, folioſis involucris involuti. *Spicæ* ipſæ parvæ ſunt, oblongæ, cuſpidatæ, viridi dilutæ, quatuor conſtantes foliolis cuſpidatis, in ſingulis *ſemen* includitur unicum. In vaccino *lacte* lævigata abſceſſus phlegmonodes deſiccat: cum *Aſſa Fœtida* & *Zingibere* in potiunculam præparata tormina ventris mitigat.

Saccharum spontaneum.

Pars XII. Tab. 46.

Kérpa. lat.

കെരപ *malab.*

Búla

বাল *bramin.*

Arab.

KERPA.

TABULA XLVI.

BRamannicè *Bala*, ad altitudinem duodecim pedum naſcens in aquoſis. *Radix* geniculata, primò rubeſcens, vetuſtior albeſcens, fibris capillatis, quas è geniculis emittit, ſe affigens. *Caules* rotundi, cavi, primùm virideſcentes, adultiores & ſicci albicantes, ligno duro, venis ſtriato, calami inſtar, circa radicem caules emittentes laterales. *Folia* ex geniculis prodeunt, eoſque convoluta includunt, enſiformia, ſtricta, craſſiuſcula, ima parte, qua à caule abcedunt, geniculo viridi diluto, albicantibus pilis veſtito, interſtincta, in interiori latere concava & albicante tunica obducta; in ſuperiori caulium parte plumei conſpiciuntur *glomi*, ex plurimis tenuiſſimis filamentis ceu petiolis compoſiti, qui argenteis, longiuſculis ac glomulatim diſpoſitis pilis ſunt veſtiti. *Semina* hiſce filamentis inſident condenſa, parva, ruffo-rubra. *Cadi Pullu* ſimilis eſt hæc planta, ſed odoris expers, novis, oblongis, cuſpidatis, albicantibus ac ſubflaveſcentibus oculis, qui ex radicis geniculis quaſi extruduntur, ſe propagans. Ex *foliis* Apozema fit emmenagogum. Abſceſſibus impoſita, illos ad maturitatem perducunt & aperiunt. *Radix oleo* incocta ſcabiem ac pruritum tollit.

Paspalum vaginatum ? P...

Pars XII. Tab. 47.

Beli Caragà. lat.

വെലികറുക. Malab.

Dúrba.

दुरुवा bramin.

[illegible] Ar.

BELI-CARAGA.

TABULA XLVII.

GRamen eſt, caulibus tenuibus, rotundis, glabris, viridibus, qui foliis veſtiuntur oblongis & anguſtis. Plurimis cerimoniis in religione Bramannum celebratur hæc planta. Rheumata capitis & oculorum minuit linimentum ex hac planta, affuſo *Nucis Indicæ* oleo & *Sandalo*, applicatum: Gingivarum dolores lenit, ſi nempe cum *Orizæ* decocto teratur.

Kaden-pullu. lat.

കാടെൻപുല്ലു. *Malab.*

[illegible] *Arab.*



KADEN-PULLU.

TABULA XLVIII.

PLanta quolibet gaudens ſolo. *Radix* nodoſa, fibris plurimis capillatis, rubro nigricantibus, duris ac lignoſis veſtita. *Caules* omnes ex radice exſurgunt, virides, tenues, triangulati, oris acutis, intus parum lignoſi, *foliis* oblongis, gramineis veſtiti, illa in interiori parte profundo ſtriantur ſulco, in cujus tractu exterius *coſtula* extuberat. *Flores* in ſummitate caulium ſpicati proveniunt in petiolis tenuibus, planis, viridibus, qui ſupra foliorum exortum ex caule erumpunt, ramulis petioli transverſis inſidentes; *ſpicæ* ſunt, quarum folia anguſta & cuſpidata. Illis deciduis in unoquoque calyce aperto unicum conſpicitur ſemen rotundiolum ac trilaterale; primò viridi dilutum, deinde candidum & nitens; ad maturitatem ubi pervenerit albocinereum ad perſicum vergens, forma gemmulam referens. Ex *radice* antinephriticum conficitur apozema.

Ischaemum rugosum

Pars XII. Tab. 49.

Tagadi. *Lat.*

തഗടി. *Malab.*

طحاغحاضحي *Arab.*

TAGADI.

TABULA XLIX.

Omnem amat fundum. *Caules* tenues, rotundi viridi albicantes, durioli, geniculati, viridibus foliorum involucris, veſtiti. *Folia* arundinacea, oblongoanguſta, pilis longis, albicantibus obſita, venis in longum ſtriata, *coſtula*, in adverſa parte eminente, inſtructa, interius ſulco ſtriata, viroris communis. *Flores* in ſummitate caulium proveniunt; *ſpicæ* ſunt oblongæ, cuſpidatæ, mutuo ſe ipſas imbricatim obtegentes, viridialbicantes, nitentes, rigidæ, circa cuſpidem viridi fuſcæ; quando ſe aperiunt, in medio lateris exterioris, ubi nonnihil convexæ, in longum hiant; inferius ex hiatu plumulam ceu *globulum* exſerunt conicum, candidum; in cujus medio *ſtylus* oblongus, tenuis, candidus, pilis condenſis in orbem circumdatus, conſpicitur, & cum illo nonnulli apices oblongi albicantes. Nullos fert fructus & ignoti uſus eſt.

Pótta-pullū. Lat.

[illegible]. Malab.

Lauoū.

तालवो. Bramin.

[illegible]. Arab.

POTA-PULLU.

TABULA L.

JUncus eſt aquaticus. *Radix* transverſim prorepit geniculata, in geniculis late extuberans, alba, fibroſa, intus fungoſa & aquea, exinde ruffeſcens. *Caules*, qui ex radice exſurgunt triangulati ac glabri, uno latere nonnihil excavato, intus medulla candida, aquea, fungoſa inſtructi, ad radicem folioſis involucris ſuccincti, viroris communis, odorem Piperis ſpirantes. *Spicæ* in petiolis viridifuſcis, planis, vertici caulium inſident & plures congregatæ proveniunt, ad exortum petiolorum tribus, oblongis, graminiformibus foliis ſuccinctæ, ruffæ. Inter ſcutellata foliola, candidiſſima *filamenta*, quorum *ſtaminula* viridia & oblonga, emittentes. Cum hocce junco ædes obteguntur, incolas per biennium contra æris æſtus, ventorumque injurias, ſartos & integros ſervans. In medicina extra uſum eſt.

Chloris barbata Sw.
cfr. Brise 353

Kónda-pullù Lat.

കൊണ്ടപുല്ലു Malab.

Tána.

तान bramin.

قحاضحا پولا Arab.

KOUDA-PULLU.

TABULA LI.

PLanta quodlibet amans ſolum. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* rotundi, glabri, virides, geniculati, in geniculis cymis inflexi, *foliis* gramineis veſtiti. *Spicæ* petiolis viridibus, ſurrectis, qui ex vertice caulium plures erumpunt, in duabus ſeriebus confertæ inſident, fuſcerubeſcentes & nitentes, ex vertice *pilis* oblongis, ſurrectis, rubeſcentibus barbatæ. Vires ignorantur.

Mottenga. *Lat*.

Mal.

Arab.

मुस्तता *bram*.

MOTTENGA.

TABULA LII.

DUæ illius ſunt ſpecies, *Mottenga* & *Pee-Mottenga* ; prior Bramannibus dicitur *Muſta*, herba ſubmiſſa naſcens in arenoſis. *Radix* glanduloſa, fuſca, capillaceas & fuſcas emittit fibras ; ex quibus hinc inde novæ glanduloſæ radices enaſcuntur, ex illis iterum fibræ & ſic porro , aromatici & gratiſſimi odoris, maxime ubi ſiccæ, ſaporis ſubacris. *Caules* qui cum *foliis* ex radicibus proveniunt *triangulati* ſunt, tenues, viridifuſci, ſuperius nodulo diſtincti, in nodulo *foliis* veſtiti; illa graminea ſunt, anguſta, viridifuſca, interiori parte ſtriata, ſaporis ſubaſtringentis, ſine odore. *Flores* in ſummitate caulium proveniunt, quorum petioli breves , & plures congregatim exeunt ; *ſpicæ* ſunt parvæ, tenues, planæ, ex ruſforubeſcentes ; *filamenta* tenuia, brevia, flava ceu ruffa è medio ejicientes. Decoctum hujus plantæ ſitim reſtringit. *Radices* Luſitanicè *Coquinha* dictæ in decocto uſurpatæ, conducunt in febribus calidis & Diabete; *Oleum* ex radicibus extractum hepati inſervit, ſitim reſtringit, ardorem febrium ſiſtit, diabetem curat, coſtis illo inunctis, etiam crines auget. Oleum per deſtillationem ex radicibus extractum, craſſum eſt & turbidum, cum tempore multas fæces ad fundum demittens, pinguis & unctuoſæ conſiſtentiæ, coloris viridi-flavo-fuſci, odoris grati, ſaporis pinguis & ſubacris, in deſtillatione cum aqua ſimul adſcendens eique innatans.

Kyllinga monocephala.

Pars XII. Tab. 53.

Pee Motténga. Lat.

പെമൊത്തെങ്ങ . *Malab.*

[illegible] . . *Arab.*

मुसतां . *bramin .*

PEE-MOTTENGA.

TABULA LIII.

SEcunda ſpecies, lingua Bramannum *Badera-Muſta*, quaſi diceres *Mottenga ſylveſtris*, cum priori ſpecie in omnibus pene convenit; in eo tantum differens quod radices glanduloſæ non ſint, ſed fibroſæ, ruffo nigricantes, tenues, in diverſas conglomeratas faſcias partitæ; ejuſdem odoris, ſed fortioris; propagatur per faſciarum avulſionem. Cum *oleo* decocta pruritum ſedat facta corporis inunctione. Reliquæ virtutes cum illis primæ ſpeciei conveniunt.

Scirpus argenteus

Mulen-pullu. lat.

മുലെൻ പുല്ല. Mal.

مُوللهِنْ پُوللحِ. Arab.

MULEN-PULLU.

TABULA LIV.

GRamen eſt *caulibus* viridifuſcis, planis ſoliis veſtitis. *Spicæ* ſummitati caulium inſident, in uno quaſi capitulo congregatæ, ac foliis ſuccinctæ, virides, ex plurimis conſtantes imbricatis foliolis. Juſculum ex hoc gramine præſcriptum æſtum corporis temperat.

Tra. Lat.

. Malab

. Arab.

. bramin.

IRA.

TABULA LV.

DUæ hujus ſunt ſpecies ejuſdem nominis. Hæc Bramannicè dicitur *Rana Derpu*, planta eſt altitudinis duorum cubitorum. *Radix* nodoſa eſt, quam plurimas confertas & arctè junctas ſubtus ejiciens fibras. E radice cum foliis gramineis *caules* exeunt rotundioli, triangulares, in ſummitate nodulo diſtincti, ex illo graminea *folia* ſex, ſeptem, plus minus in orbem transverſim emittentes, inferiori parte à foliis arctè comprehenſi, ac in plures faſcias compoſiti: ipſa folia oblonga ſunt, verſus anteriora magis contracta, in latere ſuperiori ſe nonnihil in medio claudentia, in adverſa parte nervo eminente ſtriata, oris acutis munita, coloris in utraque parte hyali & ſurdi. Ex caulis ſummitate à nodo ſupra folia graminea tres, quatuorve emicant petioli rigidi; illis *ſpicæ* denſæ ac confertæ transverſim, rectè, obliquè, omni ex parte inſident, oblongo anguſtæ, compreſſæ, cuſpidatæ, plano rotundiolæ, ſquammoſæ, primùm ex albo viridi dilutæ, exinde ruffeſcentes. *Semina* in illis minuta, angulata, ſpadiceofuſca. *Folia* in decoctum præparata dolores ventris ſedant, menſtrua provocant.

Cyperus Iria.

Pars XII. Tab. 56.

Ira eu Baluri. Lat.

ഏ·ര. *Malab.*

بيضي. *Arab.*

दनर्भ. *bramin.*



IRA ceu *BALARI.*

TABULA LVI.

SEcunda ſpecies, quæ à Bramannibus *Derpu* vocatur, cum prima in multis conveniens. Foliorum ora maximè acuta ſunt & incidentia. *Caules* triangulati, ſed acutioribus angulis, qui ex ſuo nodo petiolo ſpicatos non ſolum emittunt, ſed & cum illis plures cauliculos, etiam ex ſuis nodulis ſpicatos proferentes petiolos, qui longiores ſunt ut illi primæ ſpeciei; *ſpicæ* in iis raræ & diſſitæ, in duabus ſeriebus transverſim ſitæ, planiores, vel magis compreſſæ, ex flavoruffeſcentes. Vires conveniunt.

Kodi-pullù. lat.

കൊടിപ്പുല്ല Malab.

Dérbu.

दरभमु bram.

يو فحا ضحي Arab.



KODI-PULLU.

TABULA LVII.

